7
j-a
19

G.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
7
9 G
15

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DE ANNO
IVBILEI

Digitized by Google


DE ORIGINE ET PROGRESSV
CELEBRITATIS
ANNI IVBILEI
FRANC. MARIA PHOEBEVS
VRBEVETANVS
ARCHIEPISC. TARSENSIS
S. SPIRITVS COMMENDATARIVS
ad instruendum animum
IMMINENTE
ANNO IVBILEI
MDCLXXV.
ROMAE
SVP. PERMIS.
BIBL. SS.
IO. & PA.
DE URB.

Ex lib. ... 1818

[illegible]

Digitized by Google



SS. D. N.
CLEMENTI DECIMO
PONTIFICI MAXIMO.

Ioſeph Coruus, & Bartholomæus Lupardus Typographi Camerales F. P.

NACTI non ſine divina, vt par eſt credere, providentia hoc Opus de Iubileo, opportunum tempori & loco, Authore eximio, notæ tum pietatis, tum doctrinæ, operæ nos pretium facturos exiſtimavimus, ſi illud juris publici face-

re-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

[illegible]

Digitized by Google



SS. D. N.

CLEMENTI DECIMO
PONTIFICI MAXIMO.

Ioſeph Coruus, & Bartholomæus Lupardus
Typographi Camerales F. P.

NACTI non ſine divina, vt par eſt credere, providentia hoc Opus de Iubileo, opportunum tempori & loco, Authore eximio, notæ tum pietatis, tum doctrinæ, operæ nos pretium facturos exiſtimavimus, ſi illud juris publici face-

re-

TECA NAZ. ROMA

Digitized by Google

remus, & noſtris cuſum typis in lucem ederemus. Ejuſmodi enim eſt, ut mentes omnium fidelium inſtruere poſsit eruditione ſacra, varia, & recondita, cùm in eo quæcunque ad argumentum Iubilei ſpectant, tum ex Annalibus, tum ex Sacrorum Rituum Myrothecio, tum ex Cimeliorum theſauro, tum ex Vaticani Carthophilacij arcanis, ea omnia egregiè deſcripta contineantur: nec deſint lumina ſententiarum, & igniculi exemplorum, quibus legentium animi inſtituantur, & inflammentur ad expiationem delictorum, peccatorumque remiſsionem procurandam. Idque majori

cum

cum fructu, quòd utile doctrinæ cum dulci Hiſtoriarum miſceatur. Et quidem cùm de Patrono cogitaremus, lumen quoddam, hoc noſtro majus, & Superis vicinius noſtros irradiavit oculos, & altiùs cum reverentia ad animos penetravit, religione incuſſa, ſi aliò dedicandi ſtudium averteremus. Hoc erat Tuum, Beatiſsime Pater, tanquam ex arce, & apice ſiderum collucens, quod in univerſum Eccleſiaſticum Orbem Sole ſe ſplendidius diffundebat. Et verò decent Te Stellæ propter ſplendorem ſanguinis, ac lucem cæleſtis doctrinæ, & clariſsimarum virtutum radios, quibus illuſtras Vr-

bem

bem, & illuminas Orbem. Ac ſicuti mitius eſt, & dulcius lumen Stellarum, quàm ſit aut Lunæ, aut Solis; ita Tu, Sanctiſsime Clemens, nomine ac re præſers benignitatem, quæ Te maximè amabilem reddit tum civibus, tum peregrinis, quos allicis, & attrahis, decora ſuavitate, & majeſtate ſuavi. Quare non ſine divini Numinis beneficio factum eſt, ut hæc Iubilei ſolemnitas in Pontificatus Tui tempus incideret, & ex Altari aperires Auream Sancti Petri Portam, qua ferream hanc ętatem Sacro-ſancti Eccleſiæ theſauri divitijs inaurares, atque hujus operis Authorem, illud præ demiſsio-

ne

ne animi inter privatos parietes concludere ſatagentem, Tuorum ſiderum lumine pateſaceres. Nos itaque Opus ne in tenebris involutum, quod piaculum eſſet, remaneret, in lucem edere ſummo ſtudio curavimus: ac ut dignè ſplendeſceret, clariſsimo Tuo nomine illuſtrari fecimus. Cujus eſt tanta claritudo, ut vel umbra, quæ Librum protegit, Solis vicem gerat, ac radijs illuminet, & condecoret: quò appareat Orbi, quantus ſit ſplendor Clementis, cujus umbræ tanta lux eſt, quanta a Sole ipſo diffunditur. Itaque exemplum ſimile Petro exhibes, cujus ſi umbra

✠ ✠ ſana;

Digitized by Google

ſanabat, Tua inaurat, & illuſtrat. Deus Optimus Maximus Sanctitatem Tuam Eccleſiæ bono diu ſervet incolumem. Ex Typis Vaticanis die IV. Ianuarij MDCLXXV.

Digitized by Google

INDEX CAPITVM
PARTIS PRIMÆ.

Cap.I. INdulgentiarum theſaurus quis ſit, & unde dicatur? pag. 1.
II. A quo tempore Indulgentiarum uſus in Eccleſiam Catholicam inductus fuerit? 10
III. Indulgentiarum Theſauri Cuſtos, & OEconomus quis a Deo conſtitutus? 28
IV. Iubilei Anni celebritas a quo tempore in Eccleſiam Catholicam inducta fuit? 33
V. Anni Iubilei inſtitutio unde accepta? 51
VI. Iubileum unde dicatur, & quæ ſit eius myſtica ſignificatio? 63
VII. Iubilei celebritas quo fine in Eccleſia Catholica inſtituta? 68
VIII. Cur Romanus Pontifex Baſilicæ Vaticanæ Portam Sanctam aperiat, & claudat? 78
IX. De Indulgentijs, quæ viſitantibus Baſilicas Anno Iubilei propoſitæ ſunt. 95
X. Portæ Aureæ apertionis, & clauſuræ ſolemnia a quo tempore celebrari cœpta? 99

PARTIS SECVNDÆ.

Cap.I. DE Iubilei ſecularis Anno MCCC. a Bonifacio VIII. peracto. pag. 107
II. De Iubileo celebrato Anno MCCCL. a Clemente VI. quinquageſimi Indictione ſtatuta. 113
III. De Anno Iubilei MCCCXC. ab Vrbano VI. indicto, & a Bonifacio IX. celebrato. 118

✠✠ 2 De

IV. *De Anno* MCCCC. *quem aliqui Iubileo ſacrum fuiſſe aſſeruerunt.* 122

V. *De Iubileo ex reductione triginta trium annorum celebrato a Martino Quinto Anno* MCCCCXXIII. 128

VI. *De magno Iubileo peracto a Nicolao V. Anno* MCCCCL. 130

VII. *De Anno* CCCCLXXV. *Iubilei theſauris inſignito per Paulum II. ad xxv. annum reductione decreta, & de eodem Iubileo a Sixto IV. celebrato.* 137

VIII. *De Anno Iubilei* MD. *ab Alexandro VI. indicto, & celebrato cum ſolemnijs Apertionis, & Clauſuræ Portæ Sanctæ.* 141

IX. *De Anno Iubilei* MDXXV. *per Clementem VII. indicto, & celebrato.* 152

X. *De Anno Iubilei* MDL. *a Paulo III. indicto, & a Iulio III. celebrato.* 160

XI. *De Iubileo celebrato a Gregorio XIII. Anno* MDLXXV. 179

XII. *De Iubilei Anno* MDC. *a Clemente VIII. indicto, & celebrato.* 191

XIII. *De Anno Iubilei* MDCXXV. *ab Vrbano VIII. indicto, & celebrato.* 203

XIV. *De nouiſſimo Iubilei Anno* MDCL. *ab Innocentio X. indicto, & celebrato.* 220

XV. *De ſolemnijs Apertionis Portæ Aureæ Vaticanæ ſub initiũ Anni Iubilei* MDCLXXV. *a Sanctiſs. D. N.* CLEMENTE X. *celebratis.* 233

ELENCHVS AVTHORVM.

A

ABBAS Vrſpergenſis.
Acta Apoſtolorum.
Acta Canonizat. SS. Petri de Alcant.&c.
Acta Mediolanenſia.
Agellus.
Albericus.
Albertus Pighius.
Alcuinus.
Alex. ab Alexandro.
Alexander I.
Alexander III.
Alexander VI.
Alphonſus Giennenſis
Amalarius Fortunatus.
S. Ambroſius.
Aman proph.
S. Anacletus.
Ananias proph.
Anaſtaſius Bibliothec.
Angelus Pientinus.
Angelus Roccha.
Anonymus.
S. Anſelmus.
Antias.
S. Antoninus.
Antoninus Epiſcopus Conſtantien.
Antonius Bonfinius.
Apocalypſis.
Ariſtophanes.
S. Athanaſius.
S. Auguſtinus.
Auguſtinus de Angelis
Auitus Viennenſis.
Aytonus.

B

BAccius.
Beſelius.
Baronius.
Beatus.
Beda.
Benedictus Canonicus
Benzonius Epiſcopus Recineten.
S. Bernardinus Senen.
S. Bernardus.
Binius.
S. Birgitta.
Blanca.
Blaſius de Ceſena.
Blondus.
Boccaccius.
Boltius.
Boltius Epo.
Bonifacius VIII.
Bonifacius IX.
Boninſegnius.
Boſſius.
Burcardus.
Bruno Aſtenſis.
Bucholcerus.
Bullarium Romanũ.
Bzouius.

C

CÆremoniale Romanum.
Cæremonialia MSS. antiqua.
Cæſar Campana.
Caietanus.
Caius Theologus.
Canones Apoſtolorum.
Capellus.
Cappellus.
Capitolinus.
Cardinalis Aegidius Viterbien.
Cæſar Raſponus.
S. Carolus Borromæus.
Franciſcus Albitius.
Guido Bentiuolus
Iacobus Stephaneſius.
Ioannes Bona.
Monachus.
Turrecremata.
Robertus Bellarminus.
Valerius Epiſcopus Viterbien.
Carolus Carthariuſ.
Carolus Sauſſeyus.
Caſſiodorus.
Celerinus.
Cenſorinus.
Chronicon Bibliothecæ Barberinæ.
Colmarienſe.
Franciſcanum.
Friſigenſe.
Cherubinus Ghirardaccius.
Ciaconius.
Clemens V.
Clemens VI.

Cle-

Digitized by Google

Clemens VII.
Clemens VIII.
Clerus Romanus.
Codex Vatican.MSS.
Codex Archiui Sodal. Sanctiſs. Trinitatis.
Codinus.
Concilium Agathenſe IX.
Anciranum.
Arelatenſe I.
Aurelianenſe.
Baſileenſe.
Bracarenſe.
Carthagin. III.
Carthagin. IV.
Chalcedonenſe.
Claramontanum.
Conſtantienſe.
Epheſinum II.
Erbipolenſe.
Florentinum.
Lateranenſe II.
Leodienſe.
Lugdunenſe.
Moguntinum.
Nicenum.
Rauennate. III.
Salisburgenſe.
Toletanum V.
Tridentinum.
Turonenſe.
Viennenſe.
Conſtantius.
Coquaeus.
Cornelius a Lapide.
Corius.
Cornelius Tacitus.
Crantzius.
S.Cyprianus.
Cyrillus Francus.

D

S. DAmaſi Pontificale.
Dauid Propheta.
Diaria MSS.
Dion.
Dominicus Colmarius
Dominicus Tempeſta.
Donatus.
Durandus.

E

ECcleſiaſticus.
Eginartus.
Eleazar.
Eligius Nouiocomen.
Ennodius Diaconus.
Etherius.
Eugenius IV.
Euſebius Cæſarienſis.
Ezechiel.
Exodus.
Extrauagantes.

F

FErrarius.
Feſtus.
Franciſcus Boſquettus.
Ioannettus.
Mucantius.
Scotthus.

G

GAſpar Bugatus.
Gauantus.
Genebrardus.
Geneſis.
Gloſſa Interlinearis.
Gobellinus.
Gonzalus de Illeſcas.
S.Gregorius Magnus.
Gregorius XI.
Gregorius XIII.
Gregorius Toloſanus.
Gregorius Turonenſis.
Gratianus.
Gratioſus Vbertus.
Guazzus.
Guicciardinus.
Guillelmus.

H

HEnricus Monachus.
Herodianus.
Herodotus.
S.Hieronymus.
Capugnanus.
Ghilinus.
Rubeus.
Hiſtoria Lauretana.
Hiſtoria Tripartita.
Hoſſemius.
Horatius Flaccus.
Hubertus Velleſius.

I

IAcobus Augerius.
Gordonius.
Gre-

Digitized by Google

Gretſerus.
Meierus.
Bergomas.
Sadoletus.
Iannozzius Manettus
Hieremias Propheta.
Innocentius III.
Innocentius IV.
Innocentius X.
S. Ioannes Euang.
S. Ioannes Chryſoſtomus.
Ioannes XIX.
Anania.
Belethus.
Bicillus.
Canoniſta.
Chapeauillus.
Diaconus.
Friburgenſis.
Gualterius.
Mariana.
Nauclerus.
Roſinus.
Seueranus.
Stringa.
Io. Baptiſta Leonius.
Paulianus.
Pigna.
Io. Franciſcus Firmanus.
Io. Paulus Mucantius.
Io. Petrus Gluſſianus.
Iob.
Ioſeph Hebreus.
Ioſeph Scaliger.
Ioſue Propheta.
Iraneus Martyr.
Iſaias Propheta.
Iſidorus Hiſpalenſis.
Iſidorus Peluſiota.
Iulius III.
Iulius Cæſar Scaliger
Iulius Roſcus Scholiaſtes.
Iuſtus Lipſius.
Iuo Carnotenſis.

L

Landtgrauius Turingiæ.
Landulphus.
Laurẽtius Beyerlink.
Laurentius Brancatus a Laurea.
S. Leo Magnus.
Leo X.
Leuitici.
Lezzana.
Lilius Giraldus.
S. Lucas Euangeliſta.
Lucas Vvaddingus.
Lucianus.
Lucius Florus.
Ludgerus Epiſc.
Ludouicus a S. Carolo.
Aurelius.
Branca.
Viues.

M

Macedo.
Macrobius.
Magiſter hiſtoriarum.
Malmesberienſis.
Marianus Florẽtinus.
Marſilius Honoratus
Martinus V.
Martinus Cromerus.
Martinus Pœnitentiarius.
Martyrologium Gallicanum.
S. Mattheus Apoſtolus.
Mattheus Pariſius.
Mattheus Villanus.
Matthias de Miechouia.
S. Maximus.
Michrologus.
Miraus.

N

Natalis Comes.
Nauarrus.
Nicolaus I.
Nicolaus IV.
Nicolaus V.
Alamannus.
Cauſſinus.
Numeri.

O

Octauius Pancirolus.
Oleaſter.
Ordo Romanus.
Origenes.
Orlandinus.
Oſorius.
Ouidius.

Panui-

P

PAnuinius.
Papirius Maſſonus
Paruta.
S.Paulinus.
S.Paulus Apoſtolus.
Paulus II.
Paulus III.
Paulus Alaleo.
Diaconus.
Petauius.
Petrarcha.
S.Petrus Apoſtolus.
S.Petrus Chriſologus.
Petrus Creſpetius.
Delphinus.
Manlius.
Matthæus.
Maturus.
Opmeerus.
Piſo.
S.Pius I.
Pius II.
Platina.
Plinius.
Plutarchus.
Polidorus Virgilius.
S.Proſper.
Protonotarij S. R. E.
Prouerbiorum.

R

RAphaël Riera.
Rationarium Sodal. Sanctiſs. Trinit.
Raynaldus.
Rebdorfius.
Relatio vitæ Clementis viij. apud Iuntas.
Ribera.
Regeſtrũ epiſt. Curiæ.
Regeſtrum lit. ſecret.
Rupertus Abbas Tuitenſis.

S

SAbellicus.
Salomon.
Samuel Nakielski.
Sanſouinus.
Scipio Ammiratus.
Serrarius.
Sidonius Appollinaris
Sigonius.
Silueſter a Secretis Bonif. VIII.
Sirmondus.
Sixtus IV.
Sixtus V.
Smetius.
Sophonia Prophata.
Speculator.
Spondanus.
Stephanus Infiſſura.
Stephanus Vinandus.
Strabo.
Suareſius Epiſc. Vaſionenſis.
Suetonius.
Summontius.
Surius.
Synodus Arelatenſis.
Illiberitana.
Romana.
Turonenſis.

T

TArcagnota.
Tertullianus.
Theodoretus.
Theodoricus è Niem.
S.Thomas Aquinas.
Fortifiocca.
Vandinus.
Vualſingamus
de Vio.
Tiberius Alpharanus
Titus Liuius.
Tranquillus.
Trithemius.
Turſellinus.


V

VAlentia.
Valerius Maximus.
Varro.
Vbertus Velleſius.
Vghellius.
S.Victor I.
Victorellus.
Vincentius Belluacen.
Virgilius Maro.
Volaterranus.
Vrbanus IV.
Vrbanus VI.
Vrbanus VIII.
Vrbeuetanæ Eccleſiæ tabula.

Z

ZEnophon.
Zozimus.

DE



DE ORIGINE ET PROGRESSV CELEBRITATIS
ANNI IVBILEI
PARS PRIMA. CAP. I.

Indulgentiarum theſaurus quis ſit, & unde dicatur?

IESVS CHRISTVS Dominus noſter egenus factus eſt, cùm diues eſſet, ut nos ſuâ inopiâ ditaret: quò *in omnibus*, teſte Apoſtolo, *divites facti eſſemus in illo*. Nobis ſiquidem naſci dignatus eſt, cùm in formâ Dei eſſet, formam ſervi accipiens, & in ſimilitudinem hominum factus; immò & pro nobis mori non dubitauit; at oblatus eſt, quia ipſe voluit, tradens ſemetipſum oblationem pro nobis, & Hoſtiam Deo: ut nos eriperet de poteſtate tenebrarum, & transferret in Regnum dilectionis ſuæ; quin & nos a vinculis peccati, quibus miſerandum in modum, in ſummâ egeſtate detinebamur, ad-

2. ad Corinth. c.8. num.9.

1. ad Corinth. c.1. n.5.

ad Philip. c.2. n.6.

Iſai. c.53. n.7

ſtricti, nullo noſtro, ſed ſuo tantùm pretio pro nobis
ſoluto miſericorditer liberando. Verè igitur languô-
Iſai. c. 53. n. 4 res noſtros ipſe tulit, & dolôres noſtros ipſe portauit: uulneratus propter iniquitates noſtras, & attri-
ad Coloſſen. c. 2. n. 14. tus propter ſcelera noſtra, delevit, quod adversùs nos erat chirographum contrarium nobis: ut livôre ejus
Ad Rom. c. 5. num. 9. ſanati, & juſtificati in ſanguine ipſius, ſalvi eſſemus ab irâ per ipſum.

At verò quia iniquitatem non fecit, nec inventus
Petr. c. 2 n. 22 eſt dolus in ore ejus: tradidit tamen in mortem animam ſuã, & cum ſceleratis reputatus eſt quaſi leproſus, & percuſſus à Deo, & humiliatus; *pro eo*, inquit Dominus,
Iſai. c. 53. n. 5 & 11. *quòd laboravit anima ejus, uidebit, & ſaturabitur: in ſcientiâ ſuâ juſtificabit ipſe juſtus ſervus meus multos, & iniquitates eorum ipſe portabit. Ideò diſpertiam ei plurimos, & fortium dividet ſpolia.* Itaque immeritam pœnam Chriſtus Dominus in ſatisfactionem noſtram lûit; & roſeum ſui capitis cruorem in mem-
Ad Rom. c. 12 n. 5 & ad Corinth. c. 6. n. 15. & 20. bra, hoc eſt in nos, qui ejus membra ſumus, & unum corpus in illo, diffundens, ſe pretium magnum Deo Patri dilectus, & unigenitus Filius, ſanctus, innocens,
ad Hebr. c. 7. num. 26. & impollutus in arâ Crucis obtulit. Licèt uerò paſſio ejus aſſumptæ carnis congruerit infirmitati, tamen ob hypoſtaticam humanitatis unionem ad uerbum
S. Thom. par. 3. quæſt. 48. art. fin. divinum, utpote a Divino ſuppoſito exhibita, & a voluntate Patris accepta, conſecuta eſt meritum infinitum, juxta illud Apoſtoli: *Quod infirmum eſt Dei, for-*
1. ad Corinth. c. 1. n. 25. *tius eſt hominibus*. Ideòque infinitè exceſſit debitum, quo Adam pro peccato tenebatur: atque hoc ipſum, quod ultra debitum erat, remanet in theſauro Eccleſiæ ex redundantiâ meritorum paſſionis ejus, ut nos edocet S. Ioannes. *Si quis peccauerit, advocatum ha-*
Ioann. epiſ 1. c. 2. n. 1. *bemus apud Patrem*, IESVM *Chriſtum juſtum: & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris au-*

tem

Digitized by Google

tem tantùm, ſed etiam pro totius mundi.

Exigua enim pretioſiſſimi Chriſti ſanguinis guttula ex ejus ſacroſanćto corpore effluxa, innumeras valuiſſet animas è faucibus callidiſſimi hoſtis eripere, totumque genus humanum exuberanter redimere. Itaque ne incaſſum effluens ejus unda purpurea redundaſſet, vel inanis tantæ effuſionis miſeratio redderetur; quicquid infinitum ſanè, & indeficiens communi generis humani reparationi ſupererat, mox in relabentium redemptionem erogandum, non in agro abſcōdit Dominus noſter clemētiſſimus IESVS Chriſtus, ſed in ærario Eccleſiæ nunquam defećturo depoſuit: ab ipsâ piâ genitrice Romanâ Eccleſiâ per manus B. Petri Cœli Clavigeri, ejuſque pro tempore Succeſſoris in terris ipſius Chriſti Vicarij, pro debitâ filiorum ſatisfaćtione pœnarum, ac indigentiâ ſalubriter diſpenſandum: ut fuſiùs infra videbimus.

S. Thom. 3 p. quæſt 46 art. 5. diſt. 3.

Matth. c. 13 num. 44.

S. Carol. Borro. Aćt. Med. par. 7. lit. paſt de Iub.

Earumdem verò Chriſti ſatisfaćtionum cumulo infinito poſtea acceſſere illæ, quæ ſecundùm Apoſtolum *deerant paſſionum Chriſti*; quas videlicèt Chriſtus ipſe paſſurus erat in membris: ſatisfaćtiones nempe Deiparæ Virginis, quæ licèt omninò pulchra, & formoſa, ſine rugâ, & maculâ, tum a peccato originali, tum ab aćtuali prorſus immunis: acerbiſſimas tamen moleſtias ad ſatisfaćtionem idoneas perpeſſa fuit, in profećtione in Bethleem, in fugâ in Ægyptum, in paſſione dilećtiſſimi Filij, præcipuè juxta Crucem: Quamobrem S. Anſelmus, & S. Hieronymus pluſquàm martyrem ipſam Beatiſſimam Virginem, utpote Matrem totius dilećtionis, & charitatis appellarunt: Nec defuere, qui in expoſitione Deuteronomij, *Sicut dies juventutis tua, ita & ſenećtus tua*, elegànter ex ijs verbis colligi aſſeruerint, plus meruiſſe Beatiſſimam Virginem inſtillando lac ex vberibus, quàm Martyres fun-

ad Coloſſen. c. 1. n. 24.

S. Anſelm. lib 1. de excell. B. V. c. 1.

S. Hieron. ſer. de Aſſumpt. ad Paulum, & Euſtochiū.

Deuteron. c. 33. n. 25.

Digitized by Google

dendo ſanguinem ex uenis, eique trimulæ obtigiſſe, ut inclytos quoſque heroes vinceret, cùm ij non tantis effulſerint meritis ſub uitæ exitum, quantis illa ſub infantiæ exordium. Inter plures verò S. Bernardinus Senenſis cæteris fortaſse præcellentiùs inquit, *Mariă unico actu fidei ac obedientiæ Angelo nuncianti filij conceptionem plus meruiſſe, quàm Sancti omnes meruerint omnibus actibus uirtutum ſuarum*. Vnde conſtat Beatiſſimæ Virgini ingentes meritorum cumulos ſuper-fuiſſe ad augendum Eccleſiæ theſaurum.

S. Bernardin. Senen. ſerm. 15. de feſtiu. Virg.

Acceſsêre pariter Catholicæ Eccleſiæ Gazophylacio aliorum Sanctorum lacrymæ, & pœnalitates juſtorum, & Martyrum præcipuè ueneranda ſupplicia, quorum alij læthalibus noxijs omnino caruiſſe creduntur, vt Ioannes Baptiſta Præcurſor, Ieremias, & Iacobus frater Domini: Alij nunquam poſt Baptiſmatis gratiam mortiferam culpam admiſerunt, uel de patratis criminibus condignâ præſtitâ ſatisfactione, ac remiſſione perceptâ; plurimis inde nihilominùs cruciatibus, ærumnis, & calamitatibus affecti ſunt; quibus ideò ſingulis cum Iob dicere fas eſſet: *Vtinam appenderentur peccata mea, quibus iram merui, & calamitas, quam patior in ſtaterâ; quaſi arena maris hæc grauior appareret*. Eorum ſiquidem, vt Apoſtolus ait. *Alij diſtenti ſunt, alij ludibria, & uerbera experti, inſuper & uincula, & carceres: lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt; circumierunt in melôtis, in pellibus caprinis egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus; in ſolitudinibus errantes, in montibus, & ſpeluncis, & in cauernis terræ. Et hi omnes teſtimonio fidei probati non acceperunt repromiſſionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt non ſine nobis conſummarentur*. Quod proculdubio non contigiſſet in illis, quos mundus nequam ad mortem non

Iob. c. 6. n. 2.

ad Hebr. c. 11 num. 35.

non odiſſet, quiue paribus tantùm eorum debito ſa-
tiſfactionibus præſtitis repromiſſionem accepiſſent; ſecus uerò in ijs, qui in vnitate corporis myſtici, *ueritatem* ſecundùm Apoſtolum *facientes in charitate, creuerunt in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus, ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem juncturam ſubminiſtrationis ſecundùm operationem in menſuram vniuſcujuſque membri augmentum corporis fecerunt in ædificationem ſui in charitate*. In operibus etenim pœnitentiæ ſuper-erogauerunt vltra menſuram debitorum ſuorum: multas itaque tribulationes injuſtas ſuſtinuerunt, per quas multitudo pœnarum poterat compenſari, ſi eis deberetur, quorumque meritorum copia omnem pœnam hominibus nunc uiventibus debitam excedit. Quin potiùs peccati labe immunes, multos, & grauiores, quàm qui ad ſuorum delictorum expiationem ſufficerent, labores exantlarunt. Hi namque de ſuis ipſis ſatisfactionibus nos quidem participes efficere potuerunt, ac *Deo pro nobis melius aliquid prouidente* ſecundùm Apoſtolum, *non ſine nobis* conſummati ſunt, qui eorum paſſionum non exiguam partem percipimus. Siquidem & ciuili politiâ inſtruimur, vt in Republicâ a ſoluendo amici debito amicus minimè arceatur, iſque immunis a ſolutione euadat, pro quo alter ſatisfecerit: Vnde Apoſtoli admonemur oraculo, *vt alter alterius onera portemus ſic adimpleturi legem Chriſti*: & Moyſi contigiſſe liquet, vt ſuâ illâ feruenti oratione, quâ Deum precatus eſt, vt populo parceret, aut ſe de libro vitæ delêret, ſibi præmium quæſierit, ac populo remiſſionem impetrauerit, & Leuitici docemur verbis illis (*rogante pro eis Sacerdote, propitius erit eis Dominus*) Sacerdotem ritè orantem non tantùm ſibi præmium, ſed & populo imminentis pœnæ remiſſionem impetrare. Hiſque

Sacro-

ad Epheſ. c. 4. num. 15.

S. Thom. in 4. diſt. 20. qu. 1. art. 3.

ad Galat. c. 6. n. 2.

Exod. cap. 32. num. 32.

Leuit. cap. 4. num. 20.

Digitized by Google

Sacrorum Canonum diſpoſitio conſentit, quâ confirmatur, eodem actu, quo quiſque ſibi gratiam, uel augmentum gratiæ promeretur, alteri tum uitâ functo pœnæ in purgatorio luendæ condonationem impartiri. Et licèt Deus, qui eſt in miſericordiâ, cumulatiùs quàm exigunt opera vt meritoria, in æternitate Sanctis ſuis præmia largiatur; tamen quia vt ſatiſfactoria eorum debita longè excedunt, ſuum in alijs effectum ſortiri oportebat, ne Deus, quem Eccleſiaſticus retribuentem proclamat, quemque ex benignitate ſuâ omnia noſtra ſemper in bonum conuertere docemur ſacris paginis, quicquam irremuneratum, uel in uacuum abire permiſiſſe, redarguatur. Cùm Sanctis ſuis manifeſtè promiſerit, *Trademini a parentibus, & fratribus, & cognatis, & amicis, & morte afficient ex uobis: & eritis odio omnibus propter nomen meũ, & capillus de capite ueſtro non peribit*; & alibi. *Veſtri capilli capitis omnes numerati ſunt, nolite timere*. Capilli autem corporis ſuperflua ſunt, per quos eleganter Saluator Noſter expreſſit, ſuper-erogatas Sanctorum ſatisfactiones minimè perituras, ſed Eccleſiæ theſaurum in aliorum indigentium beneficium, & leuamen fore aucturas, iuxta illud Eccleſiaſtici. *quod beneplacitum eſt Deo fides, & manſuetudo* (quibus Sancti in eorum confeſſione, & heroicâ patientiâ floruerunt) *adimplebit theſauros illius*, quibus, qui vſi fuerint, participes fient amicitiæ Dei.

c.1.26. qu.7. & c. Anima 13.q.2.

Eccleſ.c.35. num.13.

Geneſ c.50. num.20.

Luc.c.21.n.16

Matth.c.10. n.30. & Luc. c.12.n.7.

Eccleſiaſtic.c.1.n.35.

Quamuis autem (vt prælibauimus) Chriſti ſatiſfactiones ſatìs ſuperque fuiſſent ad abſolutiſſimum indulgentiarum theſaurum comparandum, & omnia temporalis pœnæ debita extinguenda, voluit tamen clementiſſimus Dominus Noſter Iesvs Chriſtus in eo ſimul deponi Sanctorum ſatisfactiones; vt Sancti ad noſtram ſalutem ſpiritualem aliquo modo concurrerent

rent

rent, ac ita quos elegerat amicos, ſuâ eiuſmodi ſocietate honoraret: præterea quòd licèt paſſiones Chriſti ſint infiniti pretij, tamen illæ per indulgentias finito modo applicantur: itaque nihil repugnat, vt ijs aliquid ex Sanctorum ſatisfactionibus ſuper-addatur. Nec enim ob id aliquid excellentiæ Chriſti ſatisfactionum derogatur: cùm iuxta Sapientis adagium, *ſapientia filij ſit gloria, & lætitia Patris*. Præterquamquòd ſi ex ſolis Chriſti meritis theſaurus Eccleſiæ conflaretur, irremuneratæ uiderentur remanere ſuper-erogationes Sanctorum: uel ſi hæ ſolitariæ ſine infinitis Chriſti meritis applicarentur, vti per ſe finitæ ſunt, exhauriri quandoque indulgentiarum aceruus potuiſſet; & quidem Clemens Papa VI. piè, & in rem aptè animaduertit, *quantò plures indulgentiarum applicatione trahuntur ad iuſtitiam, tantò magis accreſcere ipſorum cumulum meritorum*. Supereſt igitur, vt de intentione Chriſti, & Sanctorum ſatisfaciendi pro nobis, aliqua afferamus; Et ſanè de intentione Chriſti Domini, non eſt quòd ad eam elucidandam laboremus: cùm exploratiſſima eluceſcat ſententia Petri. *Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vt redimeret nos de maledicto legis*, & Pauli, qui & in Actis Apoſtolorum dixiſſe perhibetur *Notum ſit uobis uiri fratres, quia per hunc* (id-eſt Chriſtum, de quo loquitur) *uobis remiſſio peccatorum annunciatur, & ab omnibus, quibus non potuiſtis in lege Moyſi juſtificari, in hoc omnis, qui credit, juſtificatur*. Quin & Ioannes ait, *Chriſtus eſt propitiatio pro peccatis noſtris; non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi*. Conſtat præterea alibi ex ſacris paginis, & ex ſanctis Patribus, Chriſtum Dominum ſatisfeciſſe pro culpâ, & pœnâ totius generis humani, ac inſuper eum pro nobis meruiſſe dona gratiæ, & gloriæ ſempiternæ, Sanctos quoque, quatenus eorum

Clemens VI. extrauag. Vnigenitus de pœnit. & remiſſ.

Petr c.2.n.21 ad Galat.c.3. num 13. Act. Apoſt. c. 13 n.38.

Ioann. epiſt. 1 c.2.n.2.

rum debita minora meritis erant, & altiori cumulo extabant, pro nobis ſatisfeciſſe, ſuiſque bonis operibus ſalutem noſtram, & gloriam promouiſſe: cùm præſertim eorum charitas vrgêret, vt nobiſcum ſuorum abundantiam meritorum communicarent. Hoc ſanè liquet ex ijs, quæ Apoſtolus inquit: *non quæro quæ ueſtra ſunt, ſed uos, nec debent parentibus filij theſaurizare, ſed parentes filijs: Ego autem libentiſſimè impendam, & ſuper-impendar ipſe pro animâbus ueſtris: licèt plùs uos diligens minùs diligar*. Vnde Origenes colligit, Paulum ſuo modo expiauiſſe aliorum peccata, moriendo pro Chriſto, ac pro fidelibus mori deſiderando; dilucidiùs verò Paulus ipſe *Adimpleo*, inquiens, *ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne meâ pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia*, quam nos uidelicèt conſtituimus. Ad quæ verba S. Auguſtinus *Impletæ*, ait, *erant omnes paſſiones, ſed in capite: reſtabant adhuc Chriſti paſſiones in corpore: Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra. In his ergo membris, cùm eſſet Paulus Apoſtolus, dixit, vt adimpleam, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne meâ*. Hucuſque Auguſtinus. Sed magis adhuc apertè ad rem noſtram Apoſtolus idem: *In præſenti tempore ueſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat: vt & illorum abundantia ueſtræ inopiæ ſit ſupplementum, vt fiat æqualitas*: cuius uerborum nexûs ſenſus litteralis eſt. Vt diuites Chriſticolæ opibus temporalibus in præſenti ſeculo temporali ſtipe Sanctorum pauperum indigentiæ ſubueniant; vt horum bona opera, quibus abundant, eorum inopiæ ſpirituali ſupplementum ſit.

2. ad Corinth. c. 12. n. 14.

Origen. homil. 10. n. 24.

ad Coloſſen. c. 1. n. 24.

S. Auguſtin. in pſalm. 86.

2. ad Corinth. c. 8. n. 14.

Idipſum etiam expreſſit idem Apoſtolus, cùm dixit, *ſicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eumdem actum habent; ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto: ſinguli autem alter*

ad Rom. c. 12. num. 4.

alte-

alterius membra, *neceſſitatibus ſanctorum*, ac meritis inuicem *communicantes*. Itaque Regius Pſaltes prophetico ore præcinuit. *Particeps ego ſum omnium timentium te*; atque in ſymbolo fidei, propterea Sanctorum communionis particula continetur, quæ uidelicèt ſpecialem quamdam inter Iuſtos communicationem bonorum operum ad uerbum declarat. Vnde D. Thomas: *Omnes*, inquit, *qui inuicem charitate connectuntur, aliquod emolumentum ex mutuis operibus reportant: ac inde eſt, quòd articulus fidei ponitur Sanctorum communionis*. Iuſtum ſiquidem Sancti exiſtimarunt, ſocios eorum paſſionis, & gaudij omnes nos eſſe, ut alibi Apoſtolus innuit dicens *Gaudeo, in paſſionibus pro uobis*. Ad quæ uerba Cornelius a Lapide modũ applicandi merita paſſionũ Chriſti, pro remiſſione omnium peccatorum, eleganter referens, ſic ait *Sicut multa deſunt paſſionibus Chriſti, ut gentes ad Chriſti fidem conuertantur, & paſſionis ejus participes fiant eorum, quæ adimpleuerunt Apoſtoli, dum multa paſſi ſunt in prædicatione Euangelij pro fide Chriſti propagandâ, ut primò, ac propriè hîc intendit Apoſtolus; ita multa deſunt paſſionibus Chriſti, ut fidelibus jam conuerſis pleniùs in dies, & pleniùs paſſiones, & ſatisfactiones illæ Chriſti applicentur: ſicut ergo quiſque fidelis per opera ſatisfactoria, quæ ſubit, applicat ſibi ſatisfactionem Chriſti, ut ſatisfaciat pro pœnâ temporali peccatis ſuis debitâ; ita poteſt paſſionem, & ſatisfactionem ſuam Chriſti ſatisfactione nixam, & mixtam, cum illâ ampliùs non indigeat, omni ſcilicet culpâ, & pœnâ ſibi jam condonatâ, alijs applicare*.

Pſal. 118. n. 63

S. Thom. in 4 ſent. diſt. 45. par. 2. c. 1.

ad Coloſſen. cap. 1. n. 24.

Cornel. a Lapid. Comm. in d. epiſt. ad Coloſ. num. 32.

CAPVT II.

A quo tempore Indulgentiarum vſus in Eccleſiam Catholicam inductus fuerit?

INDVLGENTIARVM vſum nouum, ut Nouatores aduerſùs Apoſtolicam Sedem latrant, inuentum non eſſe, vel ex earum impiâ, ab ipſis vagientis Eccleſiæ incunabulis, impugnatione apertè euincitur. Etenim Montanus, a quo Montaniſtæ hæretici prodiêre, morem applicandi ſatisfactiones Martyrum, qui tunc in vſu erat, primus omnium poſt Chriſtum natum ſecundo ſeculo improbare eſt auſus. Montaniſtis ſub tertij ſeculi initium Tertullianus acceſſit, qui in eamdem hæreſim prolapſus ſibi mentitus eſt, cùm in libro de pudicitiâ, *ſufficiat*, inquit, *Martyri propria delicta purgaſſe: ingrati, nel ſuperbi eſt in alios quoque ſpargere, quod pro magno fuerit conſecutus*: Tertulliani errorem, adultâ jam tertij ſeculi ætate, inſtaurarunt Nouatianus Preſbyter Romanus, & Nouatus Presbyter Carthaginenſis, nullam eſſe in Eccleſiâ poteſtatem remittendi peccata poſt baptiſmum patrata: adeòque nec relaxandi pœnam indulgentijs poteſtatem adeſſe, aſſerentes. Inducias ſubinde tulit huic hæretico bello ejuſmodi impietas pleriſque ſeculis, donec Waldenſes, a Waldeſio dicti, anno circiter MCLXX. Indulgentias nihil ualere, & Purgatorium non extare, impio dogmate prædicare non erubuerunt. Nec ſeculum exijt, quin Conradus Abbas Vrſpergenſis anno MCCXLVI. ut ſuis, quas in vulgus veluti a Deo immediatè acceptas ſpargebat, indulgentijs auctoritatem conciliaret, antiquum earundem Eccleſiæ theſaurum

Tertullian. lib. de pudicit. c. 22.

defe-

defeciſſe effutiret. Prodière mox anno MCCCLXII. fratres Flagellantes, ſeu Crucis appellati, qui extinctam paulò ante a Bonifacio VIII. hæreſim excitantes, Sacerdotium in novo Teſtamento, ut in antiquo ob malitiam Præſulum deſijſſe, blaterarunt; quaſi a tempore Silueſtri propter adiunctum temporale dominium, quod pugnare cum Sacerdotio affirmabant, Ordo Eccleſiaſticus, ac inſuper legitima Romanorum Pontificum ſeries, a tempore Vrbani VI. in Eccleſiâ defeciſſet. Quod porrò impijſſimum, poſt ferè millenos annos à Silueſtro, paradoxum excogitatum eſt a perditiſſimis hæreticis, cùm per longiſſima ſpatia tot Sanctiſſimi Pontifices, ac innumerabiles quoque præſtantiſſimi Patres, qui veluti clariſſima Eccleſiæ ſidera micuerunt, dominium illud temporale Romanæ Eccleſiæ a Conſtantino liberaliter donatum, & retinuerint, & celebrarint, illudque univerſalia etiam Concilia approbarint. Hiſque deinceps non abſimilis farinæ nebulones Wiclefus, Ioannes de Hus, Lutherus, Calvinus, Kemnitius, alijque eorum Sectarij, adhærentes, indulgentiarum acerrimi impugnatores extiterunt. Verùm ab inductione prædictâ, ad exempla applicationis hujuſmodi, quibus earumdem indulgentiarum vſus non minùs ſolidè comprobetur, progrediamur.

Ioannes Diaconus in vitâ S. Gregorij Magni tradit, Sanctum Silveſtrum in dedicatione, & per octauam Dedicationis Baſilicæ Principis Apoſtolorum conceſſiſſe omnibus ad eam convenientibus, ut *magna fieret remiſſio peccatorum, Romanis* uidelicet, *& circumadiacentibus mille annorum, Tuſcis, & Longobardis duorum millium, & ijs qui maria tranſmeare noſcuntur, trium millium annorum*. indulſiſſe quoque eumdem Silveſtrum Lateranenſi Eccleſiæ, teſtimonio Gregorij II. 335. *Ioann. Diac. in Vit. S. Greg. Magni.*

confirmat Eminentiſſimus D. meus, olim ejuſdem Eccleſiæ Canonicus, exquiſitæ doctrinæ, & ſummæ uirtutis uir, Cardinalis Cæſar Raſponus in ſuo, quem edidit, eruditiſſimo de eâdem Baſilicâ libro, ubi habet, quòd *Conſtantinus Auguſtus, ut eſt humanum ingenium præclaris conſiliorum ſuorum operibus maximè deditum, ne exteriori, & uiſibili Baſilicæ a ſe conſtructæ cultui, ſpiritualis, ac inuiſibilis cultus non reſponderet, magnoperè laboraſſe traditur. Et quia Eccleſiarum præcipuus uſus in propitiandâ in eis divinâ gratiâ, eluendiſque peccatorum ſordibus eſt, diligenter cum S. Silveſtro egiſſe, ne quid illi cæleſtium theſaurorum, quod ad eam rem idoneum putaretur deeſſe uellet* &c. Ac ita (pro eâ, quæ habenda eſt fides uetuſtiſſimo Archivi Lateranenſis Codici ac Tabulæ, quam magnam appellant, pari antiquitate uenerabili) obtinuit, *ut accedentibus ſine peccato mortali ad eamdem Baſilicam, remiſsio fieret omnium peccatorum*; quam plenariam indulgentiam a Gregorio II. (iteratâ Baſilicæ reſtauratæ conſecratione) confirmatam fuiſſe, Eminentiſſimus ipſe ſubijcit ex Summario Indulgentiarum ejuſdem Baſilicæ.

Card. Raſponus de Baſil. Lateran. lib. 2. cap. 14.

His accedit Valentiæ auctoritas, & quidem idonea, ſacello Sanctæ Crucis in Hieruſalem, ad petitionem S. Helenæ Auguſtæ per Silveſtrum conſecrato, cum multiplici, ut ait, peccatorum ueniâ ijs, qui illud uiſitaſſent indultâ, ut comprobat antiquiſſimus lapis, characteribus illius ævi inciſus. Nec deſunt alij graviſſimi Auctores, ac in primis Romani Pontifices, quorum teſtimonijs, ac diplomatibus hæc ipſa antiquitatis indulgentiarum ueritas ſtabilitur.

Valent in to. 4 quæſt. de Indulg.

433. Nicolaus IV. indulgentias unius anni, & quadraginta dierum anniverſariâ conſecrationis die, Baſilicæ Sanctæ Mariæ Majoris a Sixto Tertio conceſſas anno CCCCXXXIII. confirmauit.

Nicol. IV. litt. dat. 3. Cal. Auguſt. an. 1288. Pont. 1.

Divus

Divus Thomas aſſerit, Gregorium Magnum circa finem quinti ſeculi, Stationum Vrbis indulgentias decreviſſe. 590. *S. Thom. in 4. ſent. diſt. 20. q. 1. art. 3.*

Leo III. (ut Surius aſſert in uitâ S. Suviberti) plurimas indulgentias impartivit uiſitantibus Eccleſias, Capellas, & Altaria per ipſum conſtructa, uel conſecrata, ac præcipuè illam, in quâ S. Suviberti corpus Werdæ quieſcit. Idque probat Surius teſtimonio S. Ludgeri Epiſcopi Monaſterienſis ejus ævi Scriptoris his verbis: *Leo Papa ſub Carolo Magno &c. Aquiſgrani dedicavit Eccleſiam perpetuæ Virginis Mariæ, donans eamdem Eccleſiam multis indulgentijs: deinde conſecravit Eccleſias glorioſæ ejuſdem Virginis Mariæ, tam in Tungris, quàm in Vlieto, & Coloniæ Agrippinæ, tam ad Sanctum Martinum, quàm in Capitolio altaria conſecravit, & multa alia Monaſteria, & Altaria, & Capellas per Alemanniam, & Galliam, ubique multas indulgentias conferendo*. Werdæ verò catalogo Sanctorum adſcripto Sancto Suviberto Epiſcopo Monaſterienſi, *obtulit eidem Eccleſiæ Werdenſi ſpeciales indulgentias cunctis fidelibus celebrantibus feſtum Sancti Suviberti Epiſcopi, & ad divina eò confluentibus*. 813. *Sur. tom. 2. in uita S. Suuiberti 1. Mart. ann. 813.* *Ludg. Epiſ. ad Rixfrid. Traiect. Epiſc. c. 9*

Sergium II. trium annorum, & totidem quadragenarum indulgentiam ſtatuiſſe uiſitantibus Eccleſiam S. Martini in Montibus de Vrbe, liquet ex antiquiſſimo lapide ibi ad confeſſionem S. Martini expoſito, de quo Baronius in ſuis Annalibus mentionem facit. 847. *Baron. ad annu 847. verſ. temporibus Sergij.*

Alexander II. teſte eodem Baronio, Lucam petijt, ibique egregiâ Baſilicâ ab eo excitatâ, & in honorem S. Martini Epiſcopi, & Confeſſoris Deo dicatâ pridie nonas Octobris, per octiduum dedicationis ejuſdem anniverſarium ad ipſam deuotè confluentibus indulgentiam pœnitentiæ largitus eſt. 1070. *Idem ad d. ann.*

Vrbanus II. conſecratâ Eccleſiâ Sanctiſſimæ Trinitatis 1093. *Idem ad d. ann. n. 16.*

tatis ad Cavam Matellianam, conceſſit, ut quicunque in ſtatu pœnitentiæ, Domino opitulante, poſitus eſſet, & ad eamdem Eccleſiam accederet, ibique vno die ante ipſius Baſilicæ conſecrationem, & per totum diem ſequentem, nec-non die Iovis ſanctâ, atque per totam diem Veneris ſanctam foret, de omnibus peccatis, de quibus uerè confeſſus eſſet, & contritus, tantum indulgentiæ, & ueniæ a Domino conſequeretur, quantum eundo ad S. Iacobum Compoſtellanum, indeque redeundo lucraretur: ſingulis verò diebus devotionis causâ ad illam accedentes, quatuor annorum, & totidem quadragenarum indulgentiam ſuorum peccatorum obtinerent. Qui autem ad Capellam ſitam in Monaſterio, eâdem die conſecratam, diebus, & feſtivitatibus prædictis convenirent, ſeptem annos, & totidem quadragenas de ſimili Indulgentiâ poſt peccatorum expiationem lucrifacerent. Accedentes pariter ad Eccleſiam conſtructam in Caſale eidem Monaſterio adjacente, diebus, & feſtis præfatis, necnon in feſtivitatibus Beatiſſimæ Virginis, totidem annos, & quadragenas acquirerent.

Ex præfatis itaque conſtat ante annum MLXX. ad Sanctum Iacobum Compoſtellanum iter agentibus indulgentias fuiſſe indultas.

1695. Idem ad d. ann. n. 4[2].

Vrbanus II. in Concilio Claramontano proficiſcentibus in expeditionem Hieroſolymitanam, pro ſtipendio laboris, omnium peccatorum indulgentiam propoſuit.

1111. Idem ad d. an. n. 4. Vſpergen de Roman Cont.

Paſchalis II. ijs, qui pro Concilij progreſſu limina Apoſtolorum cum precibus uiſitarent, ad remedium animarum de capitalibus, pœnitentibus, & confeſſis quadraginta dierum pœnam relaxavit.

1119. Concil. Lateran. 2. c. 14.

Callixtus II. in Concilio Lateranenſi II. Oecumenico nono, anno MCXIX. celebrato, omnibus Imperio Ro-

Romaniæ opem ferentibus omnium peccatorum veniam indulſit.

Alexander III. Anno MCLX. Archiepiſcopo Cantuarienſi ſcripſit, indulgentias,& remiſſiones per Prælatos non ſubditis conceſſas minimè ſuffragari. Præterea Friderici Imperatoris audaciâ compreſsâ, Venetijs Eccleſiam Canonicorum Regularium indulgentijs perpetuò ditavit: patet teſtimonio Angeli Rocchæ ex antiquâ inſcriptione inciſâ in marmore ad coronam januæ majoris Templi.

1160. c. quod autem de pænit. & remiſſ.

Rocch. de ſacroſanct. Chriſti Corp. Rom. Pont. iter agenti præfer. p. 2. pag. 30.

Innocentius III. anno MCCXIII. indulgentias olim conceſſas proficiſcentibus in ſubſidium Terræ Sanctæ extendit ad Cruceſignatos contra hæreticam prauitatem: Et in Concilio Lateranenſi declaravit, indulgentiarum conceſſionem privatiuè quoad Abbates, alioſque Epiſcopo inferiores Præſules, ſpectare ad Epiſcopalem dignitatem. Demum cùm preces recitandas ad Sudarium Domini edidiſſet, illas recitantibus indulgentias conceſſit, ut ex Matthæo Pariſio Gretſerus refert.

1213. c. Excommunicamus §. de hæretic.

Concil. Lateranen. celebrat. an 1215. c. accedentibus relat. in tit. de exceſſ. prælator.

Iac. Gretſer. de Imagin. nō manufact. cap 17. Matth. Pariſ. hiſt. Henrici III. Angliæ Regis.

Honorius III. conſecratâ Eccleſiâ Caſemarij Monaſterij literis datis Laterani 3. non. Februarij quas Baronius ad uerbum exſcripſit ad ann. MCCXXX. univerſis ad celebritatem conſecrationis ejuſdem, ac infra novem dies convenientibus, de injunctis pœnitentijs annum unum miſericorditer relaxavit.

1217. Baron. ad an. 1030. n. 23.

Anno verò MCCXXIII. ut S. Antoninus tradit Calendis Auguſti idem Honorius Templo S. Mariæ Angelorum Aſſiſij a ſeptem Epiſcopis ritè expiato, approbavit plenariam indulgentiam, quam Sanctus Franciſcus ex interceſſione, & meritis Beatiſſimæ Virginis a Deo obtinuiſſe teſtabatur, uti perpetuò a primis ueſperis Kal. Aug. ad ſecundas ſequentis diei duraturã.

1223. S. Antonin. in Summ. par. 3. tit. 24. c. 7. §. 4.

Innocentius IV. in Concilio generali Lugdunenſi

1245. Concil. Lugdun. celebr. ann. 1245.

ſpe-

Inſt. 15. c. Cū ex eo verſ. quam autem de ſent. excomm. & c. 3. de pœnit. & remiſſ. in 6.

ſpecialem indulgentiam ijs conceſſit, *qui in ultimis uoluntatibus aliquid in Terra Sancta, uel Imperij Romania ſubſidium pro ſuorum peccaminum remiſſione relinquerent*: admonuitque Epiſcopos, ne in dedicatione Eccleſiæ annum, & in anniverſario ejuſdem quadraginta dierum remiſſionem excederent.

1260. Alexander IV. Anno MCCLX. die Dedicationis Sacroſanctæ Baſilicæ Lateranenſis, quaſcumque indulgentias a Prædeceſſoribus conceſſas renovavit, & illas præſertim, quas Beatus Silveſter ad preces Conſtantini Auguſti indulſerat, quas etiam uſque ad diem Dedicationis Baſilicæ Apoſtolorum Petri, & Pauli prorogavit. Ita quidem Benedictus Canonicus a Ioanne Diacono in uitâ D. Gregorij accepiſſe tradit.

Benedict. Canonic. de Sanct. Sanct. c 31. n. 20.

1262. Vrbanus IV. inſtitutâ univerſali ſolemnitate Sanctiſſimi Corporis Chriſti feriâ quintâ poſt Dominicam Sanctiſſimæ Trinitatis, in diplomate *Tranſiturus ad Patrem*, relato à Clemente V. pro excitandis fidelibus populis ad cultū auguſtiſſimo Sacramēto debitū expedito, ut ſcribit S. Antoninus, ijs, qui divinis officijs ejuſdē ſolemnitatis, & per octavā intereſſent, pleraſque indulgentias contulit, inferiùs exprimendas.

Clement. vnic. de reliqu. & vener. ſanct.

S. Antonin. in Sum. par. 2. tit. 20. c. 1. §1

Liceat uerò interim a propoſito ſermone paululùm digredi, ut aliquem ſcribendi uſum dulci noſtræ Patriæ amori tribuamus, dum tantæ ſolemnitatis ab Vrbano IV. cùm indulgentijs univerſim decretæ cauſam & finem commemoramus: quemadmodum a Sancto Antonino refertur, ac ex ueteribus inſignis penè ad miraculum ſurgentis ſtructuræ Vrbevetanæ Cathedralis monimentis apparet.

Ferrar. in Catal. gener. die 5. Aprilis. Martyrolog. Gallic. pag. 191.

Gerebat olim Vrbanus, cùm in minoribus eſſet, Archidiaconatum in Leodienſi Eccleſiâ; cùm quædam Virgo, nomine Iuliana diuino lumine illuſtrata, tum Vrbano ipſi, tum alijs pietate, & doctrinâ con-

ſpi-

ſpicuis viris, diuinam de ſolemnitate Sanctiſſimi Euchariſtiæ a Chriſto inſtituti Sacramenti decernendâ, voluntatem aperuit: quam ei divinitus obiectam ſpeciem Ioannes Chapeavillus Canonicus Leodienſis hiſtoriæ ſuæ fide confirmauit, nempe quòd Iulianæ Virgini conciui, *tempore ſua juuentutis, quoties orationi incumbebat, magnum ſignum admirabile ſeſe exhibebat, apparebat inquam ei Luna in ſplendore cum aliquantulùm tamen ſui ſpharici corporis fractione, quam cùm multoties aſpexiſſet, mirabatur admodùm, ignorans quid ei viſio illa portenderet* (vtor verbis ipſius-met Scriptoris). *Itaque poſt grauiores pŷ ardoris æſtus, fuſaſque ad Deum preces, diuini conſily particeps effecta eſt*. Reuelauit ſiquidem ei Chriſtus Dominus in Lunâ præſentem Eccleſiam (vti D. Gregorius interpretatur vaticinium Habacuc. *Luna ſtetit in ordine ſuo.*) *Quid Luna nomine*, inquit idem Chapeauillus, *niſi Eccleſia deſignatur? in Luna autem fractione, defectus vnius ſolemnitatis in Eccleſiâ figurari, quam volebat in terris a ſuis fidelibus Dominus celebrari &c.* Cùmque Iuliana demiſsè de ſe ſentiens arduam prouinciam ſuſcipere expaueſceret, rem totam inter cæteros Roberto Epiſcopo Leodienſi detêxit, qui adhibito Theologorum conſilio, & ſynodo coactâ, ſolemnem celebritatis ejuſdem anniuerſariam diem inſtituit in ſuâ Diæceſi, de quâ Hoeſemius, & Ioannes Chapeavillus. Itaque (vt idem Hoeſemius inquit) ſubinde in pleriſque Germaniæ, & Franciæ Eccleſijs a Clero, & populo feſtum Sanctiſſimi Sacramenti celebrari cæptum eſt: quouſque tandem de ipsâ in vniuerſum Orbem celebritate propagandâ decretum edidit Vrbanus Pontifex renunciatus, & miraculo ſanctiſſimæ Euchariſtiæ excitatus anno MCCLXII. quo tempore reſidebat cum vniuersâ curiâ in Vrbe-ueteri præclariſſimâ Tuſciæ

Ioann. Chapeauill. de orig. feſtiu. Corp. Dom. cap. 2.

S. Gregorius homil. 29. de aſcenſ. Domini.

Ioann Chapeauill. vbi ſup.

Hoeſem. in Enric. Gual. c. 6.

Ioan. Chapeau in not. ad Hoeſem.

Digitized by Google

Ciuitate: a qua in loco non multùm diſſito, ideſt Vulſinij, in quâdam Eccleſiâ in memoriam S. Chriſtinæ, ſacerdote tunc celebrante, eiuſque incuriâ poſt confectionem Sacramenti guttâ ſanguinis in corporale defluente, ſiue vt traditione conſtat, de tranſubſtantiatione ſacerdote ambigente, & Sanguine è Calice in Corporale exuberante; Sacerdos ipſe ad tegendam malæ credulitatis, vel ad negligentiæ notam effugiendam, corporale complicuit, pleriſque, vt moris erat, plicis involutum; per illas ſingulas, compertum eſt, ſacratiſſimum ſanguinem excurriſſe, & in ſingulis partibus complicatis, Hoſtiæ effigiem, Saluatoris noſtri prope ad diuinæ formæ ſpeciem efformaſſe, quemadmodùm commemorat S. Antoninus. Subdunt uerò Eccleſiæ Cathedralis antiquæ tabulæ hiſtoriam explentes. Tunc Vrbanus certior factus de miraculo, eius facti veritatem quàm diligenter perquiſiuit, & & plurimorum teſtimonio confirmatus, feriâ quintâ poſt Dominicam Sanctiſſimæ Trinitatis, inſtitutâ ſolemni vtriuſque Cleri ſupplicatione, ad Vrbem-ueterem afferri iuſſit ſanctiſſimũ corporale Chriſti ſanguine conſperſum. Illud ad Portam Ciuitatis aduectum, obvius Pontifex reuerenter excepit, & ad Eccleſiam S.Conſtantij, cuius titulo olim Cathedralis Eccleſia fruebatur, ſolemni pompâ proprijs manibus geſtauit, vbi per octiduum, conuenientium vndequaque fidelium oculis intuendum, ac ſuper Altari adorandum expoſuit. Degebant tunc Vrbe-ueteri duo clariſſima Eccleſiæ ſidera Sanctus Bonauentura de Balneoregio, & Sãctus Thomas Aquinas ſacrę ibidem Theologiæ Lectores, alter in S.Franciſci, alter in S.Dominici Cœnobio, quod vnâ-cum contiguâ Eccleſiâ in ipſis penè illius Ordinis primordijs inſigni nobilium tum ſanguine, tum pietate, ac munificentiâ

S. Anton. ubi ſup.

Eccleſ Vrbe-uet. antiqu. tabul. de San. Corpor.

tiâ Ciuium, præſertim Monaldenſium, Italiæ præclariſſimæ ſtirpis, ſummo ſtudio, & non vulgari ſumptu exædificatum perhibetur.

Hos igitur memorabiles ſanctitate, ac doctrinâ uiros Bonauenturam, & Thomam conſuluit Vrbanus de ſtatuendâ, eâ ipsâ quintâ feriâ poſt feſtum Sanctiſſimæ Trinitatis, in vniuerſo Orbe eiuſmodi celebritate; vt integro ſolemnitatis ritu tanti Sacramenti inſtitutionem, ac miraculi memoriam vniuerſa plebs fidelium recoleret. Ijs proinde prouinciam commiſit condendi Miſſam, & Officium in ſingulis quibuſque Eccleſijs celebranda, ac recitanda. Imperatis vterque paruit, ac inter ſe communicatis, & collatis ſcriptis, S.Bonauentura non minùs humilitate, & modeſtiâ, quàm doctrinâ præſtans, inſpectis, & perpenſis Miſsâ, & Officio a D. Thomâ compoſitis, ea, quæ ipſe exarauerat, ſtatim in fruſta conſcîdit, quòd ſibi præ alijs a D.Thomâ compoſitis diſplicuiſſent: itaque Miſſa, & officium, quibus in ejuſmodi ſolemnitate Eccleſia vtitur, a Sancto Thoma (vt Gauantus habet) accepta ſunt. *Gauant. comment. ad rubr. Miſſa par 4. tit. 22. n. 4.*

Edidit tunc præfatus Vrbanus IV. eius ſolemnitatis decretales literas *Tranſiturus*, quibus prætereà adiêcit loco lucri diſtributionum quotidianarum, quæ in Cathedralibus, & Collegiatis acquiri ſolent a Præbendatis cùm horis canonicis, alijſque diuinis officijs interſunt ſtipendium ſpirituale indulgentiarum, quas deinde Clemens V., Martinus V. & Eugenius IV. munificentiùs auxerunt. Ioannes uerò XXII. Conſtitutionem Vrbani, quam ex antiquo mss. Codice Gauantus ſe legiſſe aſſerit, nec-non Clementis V. cujus Clementinas obſeruari præceperat in Synodo Viennenſi, ratas habuit. *Regeſtr. Epiſt. cur. lib. 3. epiſt 160.* *Gauant. Comment. ad rubr. Breu Rom. ſect. 6. cap. 2.*

Subdit præterea S.Antoninus, quòd Romanâ Curiâ

S. Antonin. in Summ. p. 2. ad ann. 1460.

riâ Florentiæ reſidente, vt tantæ ſalutaris inſtitutionis memoria quotannis honorificentiùs ageretur, eidem pleraque priuilegia Martinus V. adiecit, primó vt eâ die interdictum in omnibus Eccleſijs ipſo iure ceſſet, prout diebus Reſurrectionis, & Natiuitatis Domini, Pentecoſtes, & Aſſumptionis Beatiſsimę Virginis fieri ſolet; ſecundò indulgentias a Prædeceſſoribus conceſſas duplicavit, tertiò novas indulſit jejunantibus in vigiliâ, & communicantibus in ipsâ ſolemnitate, nec-non frequentantibus huiuſmodi ſupplicationem. Præterea Eugenius IV. editâ deſuper Extrauaganti, Præſulibus Eccleſiaſticis iniunxit, vt Dominicâ præcedente Feſtum Sanctiſsimi Corporis Chriſti in concionibus indulgentias, & priuilegia prædicta populis inſinuare ſatagerent. Et Clemens VI. religioſo inflammatus ſtudio augendæ pietatis erga præcipui miraculi cultum, propoſita ab Vrbano IV. indulgentiarum præmia uiſitantibus Cathedralem Vrbevetanam, in quâ præfatum Sanctiſsimum Corporale pretioſo Chriſti cruore conſperſum aſſeruatur, auxit, locupletavitque, editis eâ de re literis, quas Raynaldus ita ad uerbum exſcripſit: *Clemens Epiſcopus &c. Vniverſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis. Etſi deuota populi fidelis ſinceritas ad veneranda ſanctorum, quorum ſuffragÿs indigêre noſcitur, ſolemnia, quandoque donis ſpiritualibus, videlicèt remiſſionibus, & indulgentÿs inuitetur, ad illius tamen venerationem celeberrimam, qui Sanctorum omnium conditor ſe pro redemptione generis humani dedit in pretium, & fidelibus ſuis ſperatur in præmium ſe daturum, eſt fidelium ipſorum deuotio ampliori huiuſmodi largitione munerum excitanda. Olim ſiquidem fel. rec. Vrbanus Papa IV. prædeceſſor noſter, piâ conſideratione præmeditans, & attendens, fidelium ipſorum deuotioni congruere, & expedire*

Eug. IV. Extrauag.

Raynald. in annal. Eccleſ. ann. 1344. n. 63. ex tom. 2. Epiſ. ſecr. 703

Digitized by Google

dire ſaluti, quòd illud ſalutiferum, & dulciſſimum Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini Noſtri IESV Chriſti, quo quotidie in Eccleſiâ pro ſalute noſtrâ paſcimur, & potamur; præter illam venerandam memoriam, quam quotidie facit ipſa Eccleſia, celebritate ſolemnitatis ſpecialis fulgêret; ad hoc certum annuum feſtum, videlicet quintam feriam poſt octauam Pentecoſtes providit perpetuis temporibus ſtatuendam. Et vt Clerus, & populus ad colendum feſtum ipſum inducerentur devotiùs, & ad Eccleſiam, in quâ eiuſdem feſti celebraretur officium, frequentiùs conuenirent, omnibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui matutinali officio feſti eiuſdem in Eccleſiâ, in quâ huiuſmodi ageretur officium, centum; qui uerò Miſſæ, totidem; qui autem in primis eiuſdem feſti Veſperis intereſſent, ſimiliter centum; qui verò in ſecundis, totidem; eis verò, qui Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, & Completorij Officijs adeſſent, pro quâlibet hac ipſarum quadraginta; illis autem, qui per octavas illius feſti matutinalibus ueſpertinis, Miſſæ, ac prædictarum Horarum officijs intereſſent, centum dies ſingulis octavarum ipſarum diebus de iniunctis pœnitentijs relaxauit. Sanè pro parte dilectorum filiorum Cleri, & populi Civitatis Vrbevetanæ, Nobis & Eccleſiæ Romanæ immediatè ſubiectæ, nuper humiliter ſupplicato, quòd cùm in Eccleſiâ Vrbeuetanâ poſt inſtitutionem dicti feſti, de ipſo primum Oratorium conſtructum fuerit, & propter quoddam miraculum, quod ad conſolationem fidelium, & fidei exaltationem catholicæ ibidem extitit diuinâ clementiâ mirabiliter operatum, tam de Civitate ipſâ, quàm uicinis partibus, cum ingenti devotione fidelium multitudo innumerabilis annis ſingulis in feſtiuitate huiuſmodi ad Eccleſiam conueniat ſupradictam, ad augendam devotionem conuenientium huiuſmodi, ampliare dictas indulgentias de benignitate Apoſtolicâ dignaremur. Nos, qui devotionem, & merita creſcere populi

Chri-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Digitized by Google

Chriſtiani paternis deſiderijs affectamus, ſupplicationi hujuſmodi benigniùs inclinati, de Omnipotentis Dei miſericordiâ, & Beatorum Apoſtolorum eius Petri, & Pauli auctoritate confiſi, omnibus verè pœnitentibus, & confeſſis, qui ſingulis annis in eodem feſto, & per octauas ipſius ad Eccleſiam prædictam causâ deuotionis conuenerint, diuina officia, ſicut ſuperiùs per Horas diſtincta ſunt, audituri, præter indulgentias per eumdem Prædeceſſorem generaliter, vt præfertur, conceſſas, totidem de gratiâ concedimus ſpeciali. Datum Auenioni Idibus Februarij Anno ſecundo.

Has autem ex antiquo more modicas indulgentias ſubſecutæ ſunt omnium peccatorum pleniſsimæ remiſsiones, quas hîc, vtpote ſatis ſuperque hodiernâ Apoſtolicæ Sedis munificentiori manu ad praxim reductas, & conſuetudine roboratas commemorare ſuperfluum exiſtimauimus.

Rayuald. tom. 14. contin. ad annal. Baron. ad ann. 1264. num. 26.

Scripſerat Raynaldus Vrbevetani miraculi hiſtoriam hac ſtyli ratione: *Hoc porrò calamitoſiſſimo tempore, quo graſſari immiſſos a Manfredo Saracenos, alioſque impios immanibus Eccleſias ſacrilegijs uiolaſſe in patrimonio Beati Petri uidimus, Diuina Prouidentia inſigne miraculum edidit, vt homines ad Sanctiſſimi Eucharistiæ Sacramenti uenerationem excitaret. Faciebat rem Diuinam in agro Vrbevetano Sacerdos, cùm Dominici ſanguinis guttulam in corporalia effluere paſſus eſt; quæ cùm complicaſſet, in omnibus illis plicis, puriſsimo ſanguine purpurata viſa, atque nonnullis in locis Sacræ Hoſtiæ forma expreſſa apparuit. Injecit tantum prodigium Vrbano occaſionem inſtituendæ, quintâ feriâ ab Octauâ Pentecoſtes recurrente feſtiuitatis; permotumque alijs grauiſsimis rationibus ipſe teſtatur; vt nimirum tepeſcente aliquorum de tanto Sacramento fide, inſtructâ ingenti pompâ illius celebritate, impiorum perfidia pudore confunderetur, at-*

que

Digitized by Google

que accenderetur bonorum pietas. Et quamuis inſtitutio Corporis, & Sanguinis Dominici ſub ſacris ſpeciebus in incruento Miſſæ ſacrificio, feriâ quintâ hebdomadæ ſanctioris recolatur; quia tamen Eccleſia tunc in plangendâ Domini acerbiſſimâ morte, pijs ritibus occupata eſt, non ita inter luctus medios, expromendæ pro tanto beneficio lætitiæ uacare poſſe in Diplomate Apoſtolico ediſſerit, poſt celebratas auguſtiſſimi Sacramenti laudes, atque illius demonſtratam veritatem (ut Vrbanus in præfatis literis Tranſiturus ad Patrem habet) licèt hoc memoriale Sacramentum in quotidianis Miſſarum ſolemnijs frequentetur, conveniens tamen arbitramur, & dignum, vt de ipſo ſemel ſaltem in anno ad confundendam ſpecialiter hæreticorum perfidiam, & inſaniam, memoria ſolemnior, & celebrior habeatur.

Sed jam ad narrationem Summorum Pontificum, & Conciliorum redeamus, a quibus indulgentiarum uſum reperimus olim fuiſſe comprobatum.

In Concilio Salisburgenſi ſub Gregorio X. contra Abbates, ſibi facultatem indulgentias concedendi aſſumentes, cautum fuit, ne illam uſurparent, declaratumque, ad ſolam Epiſcopalem Dignitatem ejuſmodi poteſtatem pertinêre.

1274. Conc. Saliſburg. celebrat. d. ann. c de cætero de pænit. & remiſſ.

In Concilio Erbipolenſi ſub Honorio IV. Sacerdoti, & Clerico deportantibus Sanctiſſimum Sacramentum, vel ante illud lanternam bajulanti ad infirmos, ſeu ad mulieres partui proximas, nec-non uerè pœnitentibus, & confeſſis eidem Sacramento per viam genuflectentibus, & orationem Dominicam cum ſalutatione Angelicâ ad minùs recitantibus, decem dies de injunctâ pœnitentiâ relaxati fuerunt.

1287. Concil. Erbipolen. celebr. d. ann. c. 8.

In Concilio Viennenſi Clemens V. Conſtitutionem Vrbani IV. de celebrandâ feſtivitate Corporis Chriſti confirmavit, & indulgentias auxit ijs, qui inter recitan-

1311. Conc. Viennen. d. ann. c ſi Dominicum. Clem. vnic. de reliq. & vener. Sanct.

Digitized by Google

citandum Horas Canonicas in Eccleſiâ morarentur.

1314. Concil. Rauennaten. III. d. an. c. 20. — 1286. Concil. Rauennat. d. ann. rubr. Pauperes.

In Concilio Ravennate III. ſub eodem Pontifice ſancitum fuit, non eſſe Epiſcopalis poteſtatis concedere indulgentiam vltra numerum quadraginta dierum, præterquam in ſolâ Eccleſiæ conſecratione, in quâ de uno anno in ſimili Concilio ſub Honorio IV. ſtatutum fuerat.

1436. Concil. Baſileen. ſeſſ. 24. d. ann.

In Concilio Baſileenſi ſub Eugenio IV. emanavit ſynodica Epiſtola conceſſionis indulgentiæ plenariæ contribuentibus aliquid in ſubſidium expeditionis Hieroſolymitanæ ſemel in vitâ, & ſemel in mortis articulo, quam Eccleſia Romam Anno Iubilei euntibus largiri conſuevit.

1448. Concil. Turonen. d. ann. c. 17.

In Concilio Turonenſi ſub Nicolao V. decretum fuit indulgentias ubique conceſſas, non-niſi de locorum Ordinariorum, ſeu eorumdem Vicariorum conſenſu publicandas fore.

Conſtat igitur, ſingulis quibuſque retroactis ſeculis ante Lutherum indulgentiarum uſum novum inventum eſſe effutientem, ab ipſis incunabulis Eccleſiam Catholicam earum theſaurum agnoviſſe, ac vſum retinuiſſe.

1562. Concil. Trid. ſeſſ. 25. de Indulg.

Optimo igitur jure, ac ſano judicio Tridentina Synodus edito decreto de indulgentijs, poteſtatem eas conferendi Eccleſiæ a Chriſto traditam, earumque vſum ab antiquiſſimis etiam temporibus Chriſtiano populo maximè ſalutarem declaravit, & anathemate percuſſit impios homines, qui vel inutiles illas aſſererent, vel eas concedendi in Eccleſiâ poteſtatem adeſſe negarent; immò & quòd ab ipſo Eccleſiæ exordio, vt memoravimus, ejuſmodi theſaurum optimè fideles agnoverint, ejuſdemque divitias Martyres ipſi in aliorum levamen, utpote ſuper-erogatas eorum ſatisfactiones, applicari ſtuduerint, ſeu ab illis, ad quos ſpectaret

ctaret

Digitized by Google

ctaret, applicandas in ærario Eccleſiæ reliquerint. Cujus rei idoneum argumentum repetere lubet,quod in noſtrâ Diſſertatione inſertâ libro inſcripto, *Acta Canonizationis Sanctorum Petri de Alcantarâ, & Mariæ Magdalenæ de Pazzis* attulimus: Nempe ab ipſis Martyribus adhuc vagientem Eccleſiam Catholicam indulgentiarum vſum, ſeu applicandarum ſuper-erogatarum earumdem ſatisfactionum praxim hauſiſſe;cùm perſecutionum tempore lapſi fideles ad Eccleſiam redeuntes, & exemologeſim facientes, indulgentias de injunctis, deque injungendis implicitè pœnitentijs ab ipſis Martyribus in carceribus conſtitutis, ac proximè martyrium ſubituris poſcebant: quòd minùs ſe illas ab Epiſcopis aſſequi poſſe ob facinorum gravitatem conſiderent. Id quidem eſt, quod Tertullianus ad Martyres tunc in carcere poſitos ſcripſit, ipſas indulgentias *pacem* appellans, adhuc Catholicus eas nō improbans: ſed prudentem earumdem conceſſionem commendans, caſdem literas, quas proinde pacis libellos dictitat, cautè etiam ab Epiſcopis executioni demandandas aſſeruit. Non tamen ipſimet Martyres lapſis indulgentias concedebant,ſed ſupplices libellos ad Epiſcopos dabant,ut eorum martyrij mox ſubeundi ſuper-erogatas ſatisfactiones lapſis applicare dignarentur,uti Cyprianus pariter multis exemplis declarat, ac in primis in Epiſtolâ ad Martyres,qui pluſquàm fas eſſet indulgentes, nimis properè lapſis literas ipſas tradebant. Itaque ſicuti nonnullis tanquam importunè nimis,uel inofficioſa petentibus, vigor ſacerdotalis reſiſtere cępit;ita humiliter,ſubmiſsèque indulgentias ipſas efflagitantibus,paſtoralis commiſeratio, cùm præſertim id temporis ratio poſtularet, præſto fuit. Et quidem Cyprianus ipſe epiſtolâ contra Novatianos, ac alibi fusè hujuſce conſuetudi-

Acta Can. SS Pet. & Magd. de Pazz.

Tertull. lib. ad Martyr. cap. 1.

Cypr. epiſt. ad Martyr.

S. Cyprian. epiſt. 53. & 54 cont. Novat.

nis meminit, licèt epiſtolâ XXIII. anonymas, & generales Martyrum indulgentiales largitiones, ſeu pacis libellos, & nominatim exceſſum Luciani improbet, qui Pauli in carcere poſiti literarum ejuſmodi ſuper-erogationum quoſcumque poſcentes lapſos participes faceret, quem ſibi Lucianus ipſe ad Celerinum crimini imputat his uerbis: *Scire debuiſti, quòd circa nos actum* (nempe a Cypriano) *cũ benedictus Martyr Paulus adhuc in corpore eſſet, vocavit me, & dixit mihi, Luciane coram Chriſto tibi dico, vt ſi quis poſt accerſitionem meam abs te pacem petierit, des in nomine meo*; & adjungit; *Sed & omnes, quos Dominus in tantâ tribulatione accerſire dignatus eſt, literas ex compacto vniverſis pacem dimiſimus*. Hujuſmodi autem abuſus, ac exceſſus animos dedêrunt Patribus Concilij Niceni, ſolis Epiſcopis poteſtatem tribuendi ad applicandas pro eorum arbitrio lapſis indulgentias, libellorum pacis uſu prorſus abolito; hæc ſunt Canonum verba: *pro animi ardore quivis ſuſceperit injanctam pœnitentiam, valeat Epiſcopus indulgentiam, ne præſtitum integrum tempus perſolvere teneatur, illi præſtare*.

Lucian ad Celerin. epiſt. 22

Conc. Nic. can. 11. & 12.

Et porrò non tantùm a pœnis canonicis in præſenti ſeculo, ſed etiam a reatu pœnæ, quam unuſquiſque ſecundùm Dei judicium promeretur in Purgatorio, ejuſmodi indulgentias liberare, dogma Eccleſiaſticum indubitatum eſſe, probat Divus Thomas, eâ inter cæterâs invictâ ratione, quòd, *ſi temporales tantùm pœnas in hac vitâ ſuis hiſce Indulgentijs Eccleſia relaxaret, damnificaret potiùs, quàm adjuvaret, dum remitteret illas ad graviores, hoc eſt, ad Purgatorij pœnas*. Comprobatur pariter ex eo, quòd univerſa Eccleſia id ipſum declaravit, facto Summorum Pontificum, omnium Epiſcoporum, & ſacrorum Conciliorum, paſſim concedentium indulgentias, per quas non ſolùm docuerunt cô-

S. Thom. in compl. qu 25. art. 1.

dona-

donari obligationem exequendi pœnitentiam injunctam, ſed prætereà remitti pœnam injungendam, & expiandam in Purgatorio. Quòd enim Summi Pontifices paſſim indulſerint centum & mille remiſſionũ annos, certè eos implicitè ſaltem involvere voluiſſe pœnas in Purgatorio explendas, ambigendum nõ eſt; cùm ignorare nequiverint, præſentis uitæ pœnas ad ſummum octoginta, vel nonaginta annorum poſt rationis uſum metâ contineri.

Hiſce, alijſque ſolidiſſimis rationibus permoti Patres in Concilio Cõſtantienſi, quo-ad hæc minimè reprobato inter quadraginta articulos Ioannis Wiclefi in favorem ſubſidij pro reductione Græcorum, & Cõcilium Tridentinum indulgentiarum uſum comprobarunt, impugnatores damnarunt; quamquàm nullum in ſacris literis, nullum apud antiquos Latinorum, & Græcorum Patres de eâ re teſtimonium haberi aliqui crediderint. Sed proculdubio id non aſſeruiſſent, ſi in prænarratos Doctoris gentium, & Sacræ Scripturæ locos idoneos incidiſſent, vel traditionem Eccleſiæ inſpexiſſent, ſedulòque perpendiſſent. Etenim eâdem auctoritate, quâ verbum Dei ſcriptum illam pollêre, optimè inſinuat Leo X. cùm ad Cajetanum ſuum in Germaniâ Legatum miſerit Extravagantem, pro quâ Cajetanus ipſe ad ſolutionem tertij quæſiti reſpondit: *Eccleſia id tradidit, & traditione credimus, prout alia dogmata, quæ in verbo Dei ſcripto non ſunt.* Siquidem Eccleſiæ auctoritas ſpecialis, & expreſſa ritè fundata in doctrinâ Evangelicâ ad hæc ſtatuenda ſatis ſuperque fuit: Ioanne dicente; *Paraclytus autem Spiritus Sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis.* Immò & ad indulgentiarum uſum, quod ſpectat, miraculis quæ linguæ ſunt divinæ, eum comprobatum,

Concil. Conſtant. ſeſſ. 8.

Concil. Trid. ſeſſ. 25.

Caiet. par. 3. qu. 48. art. 3.

S. Ioann. cap. 14. n. 26.

S.Bernard. lib.2. de conſid. ad Eugen Gofrid. in Vit. S.Bernard. lib.3.c.4.

ac traditionem Eccleſiaſticam ejuſmodi confirmatam fuiſſe, aſſerit Sanctus Bernardus, ac in ipſius vitâ repetit Gofridus; ex prædicatione ſcilicèt ſacri itineris Hieroſolymitani, cùm idem Bernardus literas Apoſtolicas, quibus in pœnitentiam, & remiſsionem peccatorum iter arripere fideles permovebantur, Dominum cōfirmaſſe ſequentibus ſignis, pronunciaverit his uerbis: *uel numerare, nedum narrare difficile foret, unâ ſiquidem die uiginti, ſeu etiam plures ab incommodis varijs, ex indulgentiarum publicatione ſanati ſunt, nec facilè ab hujuſmodi dies ulla vacavit.*

CAPVT III.

Indulgentiarum Theſauri Cuſtos, & OEconomus quis a Deo conſtitutus?

S.Thom. in 4. diſt.10. qu.1. art.3.

CVM *bona, quæ ſunt alicujus multitudinis communia*, ut docet D.Thomas, *diſtribuenda ſint ſingulis pro arbitrio ejus, qui multitudini præeſt*, Gazopgylacij Eccleſiæ Cuſtos, & OEconomus neceſſariò aſſerendus uidetur Romanus Pōtifex, qui ex commiſſo ſibi cœlitus munere, univerſo fidelium præſidet Gregi: ac ideò unicus Diſpenſator divitiarum ejuſdem Theſauri a Deo conſtitutus; licèt olim largiùs Epiſcopis in partem ſolicitudinis aſſumptis indulgentias diſtribuendi Vicariā poteſtatem delegaſſet. Itaque eorum quilibet in propriâ Diœceſi, Sanctorum, qui inibi martyrium paſsi fuerant, & nomina olim in ſacris Dyptichis imponebat, eorumque ſatisfactionum vel ad ipſorum Martyrum preces, ſeu proprio arbitrio applicationis executor cenſebatur. Succeſſu tamen temporis, lapſis commentitias interdum,

Digitized by Google

dum, vel anonymas, ſeu generales literas, non expreſſo in eis ipſorum lapſorum nomine, aut illas importunè nimis exhibentibus utrumque Romanus Pōtifex ad ſe avocavit, ne petentium vrgente importunitate apud Epiſcopos, vigor Eccleſiaſticus tepeſceret. Martyribus proinde cultum aſſerere, non-niſi ex Apoſtolicæ Sedis judicio, ijs licère ſancivit: Ac Sanctorum eorumdem Martyrum ſatisfactiones (quibuſdam exceptis in operibus pijs intra eorum Diœceſim tantummodò explendis) applicare vetuit. Ejuſmodi *Nauarr. notab 31. num. 12.* autem fuit Eccleſiæ praxis uſque ad Fabiani Pontificis glorioſum exitum. Etenim poſt id tempus, continuatâ Deciorum Gallieni; & Voluſiani perſecutione, quâ Romani Pontificis electio biennio ferè protracta eſt, Romanus Clerus ex antiquiori conſuetudine, ſublato viſibili Vniverſalis Eccleſiæ capite, ſuarũ eſſe partium ratus eſt, Catholicæ Eccleſiæ ubique locorum in ijs, quę licèrent proſpicere, atque conſulere. Quippe qui (uti propinquiora membra capiti inhærent) ipſius capitis munera expleturus, lapſorũ multitudinem, ne ijdem deſperatione deficerent, commiſeratus eſt. Coactâ igitur Synodo ſcripſit ad Cyprianum, alioſque Epiſcopos, vt exemplo Chriſti, qui Petrum, poſt negationem reſpexerat, ac amarè flenti pepercerat, in lapſos tum in Idololatrîam, rigorem a- *Luc. c. 22. n. 61.* vitum miſeratione temperarent: & ijs, quibus vitæ exitus imminebat, ſi lacrymis, ſi fletibus dolentis, ac pœnitentis animi ſigna prodidiſſent, & ſpes vivendi ſecundùm hominem nulla ſubſtitiſſet, actâ pœnitentiâ, & profeſsâ frequenti ſuorum deteſtatione factorum, cautè, & ſolicitè ſubvenirent. Sunt ferme uerba *Cler. Rom. epiſt. 31.* ipſius Romani Cleri. Hujus ſanctionem Cornelius demum Pontifex renunciatus confirmavit. Verùm quia exinde largiori iterùm Epiſcoporum erga lapſos indul-

dulgentiâ, Eccleſiaſtica diſciplina admodùm conſici videbatur, in Concilijs Illiberritano, & Arelatenſi ſancîtum fuit, ſolemnes, quos adhuc pacis Martyrum vocabant, libellos, cautè executioni demandari, vel omninò reijci ab Epiſcopis, in Domino expedire. Romanus autem Antiſtes, fidelis ſervus, & prudens conſtitutus a Deo ſuper familiam ſuam, ſtatutas quaſdã, quadraginta ſcilicèt dierum in ſingulis celebritatibus, ac unius anni in Dedicatione tantùm Eccleſiarum, indulgentias diſtribuendi, Vicariam poteſtatem Epiſcopis dimiſit; ac ne reliquæ incaſsum irent, vel, quod caput eſt, Deus ſummè liberalis parſimoniæ redargui poſſe videretur, illas per ſe ipſum ſolus dividere conſuevit in alimenta filiorum, qui charitate urgente, ut Clemens V. & Leo X. optimè docuerunt, membra ſunt Chriſti, nempe qui fide recti, ſpe longanimes, capiti invicem connectuntur. Non enim prodeſſe poſſunt ſpirituales indulgentiæ ijs, qui a Chriſto, & ab Eccleſiâ ſeparati, vel in mortali peccato exiſtunt, vel ex hac vitâ, in eo miſerabiliter reperti migraverunt.

Synod. Illiberrit. can. 25. ibi Bin. in not, lit. O.
Synod. Arelat c. 6.

Clem. V. in Extrauag. Leo X in Decretal.

Et ſanè ſolus Romanus Pontifex pro ſuâ in univerſam gentem omnimodâ juriſdictione, & illimitatâ poteſtate in universâ Eccleſiâ, ejus Theſauri diſpenſator exiſtit, exemplo Doctoris Gentium, qui abſens pro eâ, quâ ex Apoſtolico munere in Gentes auctoritate pollêbat, inceſtuoſum illum priori epiſtolâ Sathanæ traditum, eumdem commiſeratus, abſolvît: *Sufficit*, inquiens, *illi, qui ejuſmodi eſt objurgatio hac, quæ fit a pluribus: itaut è contrario magis donetis, & conſolemini: ne fortè abundantiori triſtitiâ abſorbeatur, qui ejuſmodi eſt, propter quod obſecro vos, ut confirmetis in illum charitatem*. Paulus verò hoc egit ad imitationem Iesv Chriſti dulciſſimi miſeratoris noſtri, qui deprehenſæ mulieri

1. ad Corinth. c. 5. n. 5.
2. ad Corinth. c. 2. n. 6.

Digitized by Google

lieri in adulterio, immò & Samaritanæ, quæ in ſecreto cubiculo adulterum fovebat, culpam & pœnam remiſerat. Quare S. Ioannes non tantùm Nicolaitis ſcortatoribus, ſed etiam idolotytis pœnitentibus veniam ſpopondit.

S. Ioann. c. 8. n. 11. idem c. 4
Apocalip. c 2 n. 16. & 21.

His exemplis ductus Romanus Pontifex ex acervo ſuper-erogationum Sanctorum, infinitis Chriſti meritis admixtarum, de quibus Sancti nihil peculiariter diſpoſuerunt, quaſque ob charitatis nexum reliquis membris profuturas in ærario Eccleſiæ reliquerunt, aliquas fidelibus in extremo laborantibus applicuit: quin etiam inflictas jam pro admiſſis delictis, ac pro arbitrio Sacerdotis injunctas pœnitentias, vel adhuc fortè maiores lege debitas injungendas, ſecundùm Dei judicium, ne præ nimiâ triſtitiâ pœnitens abſorbeatur, ex rationabili causâ relaxare conſuevit. Eamdem D. Pauli doctrinã ſecuta ſunt ſacroſancta OEcumenica Concilia Nicenum I. & Chalcedonenſe miſſâ in Conciliabulo Epheſino II. ad Monachos, qui ſub Euthychete erant indulgentiæ, & remiſſionis epiſtolâ, & Provincialia Anciranum, Laodicenſe, & Agathenſe. Illamque antea a priſcis Patribus in praxim deductam probant Tertullianus tunc Catholicus, & S. Cyprianus, a quibus remiſſæ apparent pœnitentiæ in peccatorum ſatisfactionem injunctæ, quibus & injungendas involvi ſolêre ex ſuperioribus liquet, quatenus illæ ex Apoſtolicæ Sedis auctoritate emanarent.

Concil. Nicen. I. can. 11. Chalcedonen. art. 1. in Epiſt. ad Conciliab Epheſinũ 2. miſſ ad Monach. quæ habetur in tom. 2. Concil.
Concil. Anciran. c. 5. Laodic. 20. & Agathen. c. 37.
Tertullian. lib. ad Martyr. c. 1.
S. Cyprian. epiſt. 11.

Summa verò Romani Pontificis munificentia in hujus cœleſtis theſauri pretioſiſſimis gemmis largiter, & ſalubriter diſpenſandis eluceſcit Anno Iubilei, tempore ſanè acceptabili, dieque ſalutis, cùm Deus potiſſimè audit clamorem populi, qui per rubarum clangorem in Iubilei anni indictione, ac celebratione

2. ad Corinth c. 6. n. 2.

expri-

Ioann.c.4.n. 14. Ioann.c.7.n. 38. Apocalypſ.c. 22.n.18. Iſai.c.44.n.3 c.55.n.1. Sophon.c 1.n. 10. & 11. Matth.13.n. 47. Iſai.c.61.n.1

exprimebatur. Tunc enim aperit venas illius *fontis aquæ vivæ ſalientis in vitam æternam*; identidem clamans fidelibus: *Siquis ſitit, veniat ad me, & bibat; & qui vult accipiat aquam vitæ gratis. Effundam enim aquam ſuper ſitientem, & fluenta ſuper aridam:* & rurſum *omnes ſitientes venite ad aquas*. Tunc enim omnibus patêre aditum ad pellucidos, & vivos indulgentiarum fontes deprehenditur, maximâ & capaci patefactâ Portâ, quæ olim Aurea nunc Sancta appellatur, juxta Sophoniæ vaticinium: *Et erit in die illâ*, dicit Dominus, *Vox a Portâ piſcium, & contritio magna a collibus*. *Piſcium*, hoc eſt Chriſti fidelium ſub Piſcatore Petro degentium ſecundùm Matthæi parabolam: *Sagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congreganti*. A collibus, nempe a Romanâ Vrbe, quæ ſeptem collium Ciuitas dicta eſt. Quamobrem non incongruè a Romano Antiſtite inſtitutum fuit, ut in Iubilei Anni celebritatis initio Porta aurea Baſilicæ S.Petri penitus panderetur, & ſub ejuſdem finem prorſus iterùm clauderetur. Quam in rem aptè Iſaias: *Spiritus Domini ſuper me, eò quòd vnxerit Dominus me ad annunciandum manſuetis miſit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clauſis apertionem, & annum placabilem Domino*.

CA-

CAPVT IV.

Iubilei Anni celebritas à quo tempore in Eccleſiam Catholicam inducta fuit?

DE Anno Iubilei (quâ voce primùm uſi fuerunt Cardinalis S. Georgij Stephaneſius, & Franciſcus Petrarcha carmine ad Clementem VI. atq; ex Summis Pontificibus idem Clemens in Diplomate indictionis incipiente: *Vnigenitus*) deque Portæ Aureæ apertionis, & clauſuræ ſolemnijs, ac geſtis Romanorum Pontificum inter vniuſcujuſque Iubilei anni momenta differturi, præmittendum duximus, unde ejuſmodi celebritas originem hauſerit? videlicèt a Iobelo ne Moſaycæ legis quinquageſimo, an a ſeculari Ethnicorum anno, ludis in honorem Apollinis, & Dianæ ſacro? Et ſanè qui veriùs ad anni quinquageſimi Iudæorum ipſius anni inſtitutionem referunt, temporariam remiſſionem Iobeli antiqui Teſtamenti, remiſſionem ſpiritualem ſub lege gratiæ concedendam ſignificare contendunt: ut præ cæteris Clemens in præfatâ decretali *Vnigenitus* innuere videtur: Idque colligunt ex Levitico, ubi hæc habentur: *Locutus eſt Dominus ad Moyſen in Monte Synai: numerabis quoque tibi ſeptem hebdomadás annorum, ideſt ſepties ſeptem, quæ ſimul faciunt annos quadraginta novem, & clanges buccinâ menſe ſeptimo, decimâ die menſis, propitiationis tempore in univerſâ terrâ veſtrâ. Sanctificabiſque Annum quinquageſimũ, & vocabis remiſſionem cunctis habitatoribus terræ tuæ: ipſe eſt enim Iubileus. Revertetur homo ad poſſeſſionem ſuam, & unuſquiſque rediet ad familiam priſtinam, quia Iubileus eſt, & quinquageſimus annus.* Adeòque aptè

Card. S. Georgij Stephaneſij de Centes. Franc. Petrarch. Carm. ad Clem. VI.

Clem. VI. decret. Vnigenitus.

Levit. c. 25. n. 1. & 8.

Pancirol. pag. 99. ad Text. levit. c. 25. n. 9. & Iſaj. c. 6 num. 6.

Digitized by Google

per buccinas Iobeleas populum Iudaicum repræſentari advertit Pancirolus, quòd illis Iudæi in eâ ſolemnitate uterentur. Idque confirmant duæ illæ buccinæ, quæ in Arcu triumphali Veſpaſiani, vel Titi ejus filij in ipſo lapide cælatæ uiſuntur, quibus Hebræus populus ſignificabatur. Rurſus uerò ex libro Numeri ibi: *Atque ita fiet, ut cùm Iubileus, ideſt quinquageſimus Annus remiſſionis aduenerit, confundatur ſortium diſtributio, & aliorum poſſeſſio ad alios tranſeat;* ubi Ioſeph Hebræus rem fusè explicat, quæ ad Iubilei novæ legis inſtitutionem, & effectus maximè confert. Vt enim ille buccinâ, ita Iubileus noſter buccinâ, & Apoſtolicâ voce prænunciatur. In illo labor colendi terram deſinebat, in hoc labor proprius per laborem, & merita Chriſti, & Sanctorum ceſſare videtur. In illo debita temporalia, in hoc ſpiritualia condonantur. In illo libertas corporis Hebræis, in hoc animæ Chriſtianis reſtituitur. In illo poſſeſſiones terrenæ abalienatæ recuperabantur, in hoc virtutes, & merita per peccatum perdita reſtaurantur. In illo demum exules in Patriam redibant, per hunc è Cœlo expulſi, quod Patria noſtra eſt, ſecundùm Apoſtolum, in Patriam cœleſtem revocantur.

Lib. Numer. c. 36. n. 4.

Ioſeph Hebr. antiq. Iudaic. lib. 3. c. 10.

Ad Philip. c. 3. num. 20.

Non tamen deſunt Auctores, qui Iubilei ritum ad veterum Levitarum privilegia deducant: juxta quæ, impleto quinquageſimo ætatis anno ijdem a miniſterio Tabernaculi eximebantur; hæc enim in libro Numeri habentur: *locutuſque eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Hæc eſt lex Levitarum. A viginti quinque annis, & ſupra ingredientur, vt miniſtrent in Tabernaculo fœderis: cùmque quinquageſimum ætatis annum impleverint ſeruire ceſſabunt.* Nec ſecus illâ eâdem ætate apud quaſdam nationes manu-miſſionem a militiâ decretam fuiſſe, teſtatur Macrobius.

lib. Numeri c. 8. n. 1. & 23.

Macrob. lib. 1. Saturnal.

Ejuſ-

Ejuſmodi verò Hebræorum Iobelum initiũ ſumpſiſſe, colligit Serarius, anno ab origine mundi bis millesimo quingenteſimo, ſeu ſecundùm Pontacum, anno ab Abraham quinquageſimo primo; itaque aſſerit conuenire Iubileum Chronicum cum legali, non ſine ſummo myſterio, & incredibili Dei prouidentiâ. Tentat verò Pontacus prius reuocare ad annum quadrageſimum quintum Abrahæ, locando Iubileum quadrageſimum primum, vt octogeſimus primus reſpondeat anno Chriſti trigeſimo, ſeu trigeſimo primo, qui fuit poſt annos bis millenos a quadrageſimo quinto Abrahæ. Et quia quinquageſimi primi Iubilei initium ad annum Moyſis ultimum ab Abraham quingenteſimum quintum deducit, ſeptuageſimum primum Iubileum ad annum Abrahæ milleſimum quingenteſimum quadrageſimum quintum reducit; at neminem ex veteribus Scriptoribus, qui de ejuſmodi Iubíleo diſſeruerit, præter Euſebium, dummodo ita ſit, produci poſſe affirmat.

Serar. in Ioſue c. 13. q. 14.

Principium porrò quinquageſimi primi Iubilei ad annum ſextum Ioſue ſecundùm Hebræos, ac initium octogeſimi primi ad annum Abrahæ bis milleſimum quadrageſimum quintum, Tiberij Cæſaris decimum quintum protrahit, quo quater milleni anni ab Orbe condito, ſeu octogies quinquaginta, octogeſimus Iubileus perficiuntur, anno Chriſti trigeſimo, quo cæleſtis ipſa divinaque Tuba cæpit prædicare remiſſionem peccatorum: tam-etſi ſecundùm Euſebianam ſupputationem annus Chriſti trigeſimus ab Abraham, ſiue a bis milleſimo conditi Orbis ſit tantùm annus milleſimus centeſimus nonageſimus quartus. Variè namque numerantur diuerſorum Regum anni, ac ideò credimus Idatium auſpicari ſuos Iubileos ex eo tempore, quo Dominus aſcendit ad Cœlos, hoc eſt, tribus

vel quatuor ferè annis poſt trigeſimum Chriſti. Statuit autem ſeptimum in lege novâ Iubileum expletũ ad annum tertium Theodoſij trecenteſimum octogeſimum tertium Chriſti, ſeu poſt æram quatercenteſimam vigeſimam primam, a quâ ſi demas annos Chriſti triginta tres, & æras triginta octo, ſuperſunt anni trecenti quinquaginta, & octavus inchoatur Iubileus. Rabinorum vulgus ad Chriſtum numerant annos termille ſeptingentos ſexaginta, itaque Iubileum ſtatuunt ad annum Chriſti ducenteſimum quadrageſimum. Ac ſanè Chriſtus præcepit nobis, ut ſeptuagies ſepties condonaremus contumelias nobis illatas & injurias dimitteremus. Ipſe enim natus in ſeptuageſimâ ſeptimâ generatione ab Adam, remiſſionem peccatorum noſtrorum a Deo obtinuit affixus Cruci, ſanguinem fundens, & ſeipſum hoſtiam in ſatisfactionem peccatorum offerens poſt ſeptuageſimum quintum Iubileum, nempe in ſeptuageſimo ſexto, ut Alcazar exponit.

Matth. c. 18. num. 22.

Alcazar. in Apoc. lipſ.

Has verò inter ambiguitates Serarij ſupputationem ac ſententiam lubentiùs amplectimur, vtpote ad rem noſtram magis idoneas; nempe Iubileum Hebræorum, ut animaduertimus, initium ſumpſiſſe ab anno mundi originis bis milleſimo quingenteſimo, quo anno Terra a Ioſue Hebræis diuiſa eſt per ſortem; cùm populus in poſſeſſionem illius immiſſus, cæpit agros colere, anno ſcilicèt ab exitu ex Agypto quadrageſimo ſeptimo. Deſijſſe verò ejus Iubilei celebritatem, quo tempore Iudæorum exciſio ſecuta eſt; tunc ſiquidem diſcriminationem poſſeſſionum, & Tribuum inter Hebræos ipſos fuiſſe ſublatam, diſſertè colligit Cornelius a Lapide.

Cornel. à Lapid. Comment ad c. 25. Leuit.

De ſecularibus autem Ethnicorum ludis crebra eſt mentio apud omnes, & priſcos & recentes Romana-

rum

rum rerum Scriptores. Hi pariter referunt, Ethnicos falſis eorum Dijs non ſimulacra tantùm, aras, & fana: ſed dies quoque, menſes, & annos olim dicare conſueviſſe. Ouidius enim Calendarium cecinit de ſacris diebus. Alexander ab Alexandro vetuſtâ lege cautum reperiri aſſeruit, vt ſinguli menſes aliquibus Dijs dicarentur. Ex annis demum tum lunaribus Ægyptiorum ſecundùm Herodotum triginta dierum: tum trium, quatuor, & ſex menſium apud Arcades, Arcananos, & Chaldæos ex Zenophonte: nec-non decem, aut tandem duodecim ex Macrobio; ſecundos quoſque Lunares Veneri quondam, & Mercurio, Solares Marti, duodecimos Iovi, trigeſimos Saturno conſecratos fuiſſe liquet, teſtimonio Plutarchi. Cenſorinus præterea tertios quoslibet Clericis Bacchi addictos; & quintos in Græciâ celebres ob ſpectacula Iovi Olympico ſacra, ac Romæ ob ludos agonales, & ſacrificia luſtralia; unde & luſtri nomen, (vt Feſtus & Plinius avunculus tradunt) quinque annorum revolutio accepit. Demum recenſent Strabo nonos apud Delphos Apollini Pythio nuncupatos, & Natalis Comes (qui de alijs quoque copiosè agit) vigeſimos primos apud Athenienſes: apud Pithagoricos quinquageſimos nonos: & apud Romanos centeſimos, oraculo librorum Sybillinorum ludis publicis, ideò ſecularibus appellatis, omnium celeberrimos Apollini, & Dianæ dicatos. Hos ſeculares ludos Valeſio ſive Valerio auctore primũ celebratos fuiſſe anno CCCCII. ab V.C. comprobant præfati libri Sybillini, quibus ſecundi ſeculares ludi peracti perhibentur anno DII. P. Claudio Pulchro, & L. Bruto Coſſ. vndecimo ſcilicèt anno primi belli Punici. De quibus Livius, Horatius, Valerius Maximus, Plinius, Lucius Florus, Feſtus, Zozimus, Herodianus, Capitolinus, Cenſo-

ri-

Ouid. in Faſtis.
Alex. ab Alex. lib. 3. genial. cap. 25.
Herod. in Euterpe
Zenoph. lib. de Aequinoc.
Macrob. Saturnal. lib. 1. cap. 13. & 14
Plutarc. ſub Num. & lib. de placit. Philoſ.
Cenſor. de die nat. c. de ſec.
Ouid. in 1. faſt.
Ariſtophanes in Plut.
Plin. lib. 2. c. 47.
Liu. hiſt. l. 1.
Strabo lib. 9.
Ouid. l. 1. metaph.
Natal. Com. Mythol. lib. 5
Lil. Girald. de Poet. hiſt. l. 6.
Horat. car. ſecul. od. 6. lib. 4. & Od. vlt. lib. vlt.
Valer. max. lib. 2. c. 1.
Luc. Flor.
Herod. hiſt. l. 3.
Capitol. in Gord.

Digitized by Google

Euſeb. in Cron. Caſſiod. in Cron. Scalig. lib. 1. Poet. c. 38. Viueſ. lib. 3. de Ciuit. Dei cap. 18. Panuin. de lud. ſecul.

rinus, Euſebius, Caſſiodorus, Iulius Cæſar Scaliger, Ludovicus Vives, & alij, octies indictos ferunt: ultimos fuiſſe factos a Philippo Imperatore anno poſt conditam Vrbem M. nonnulli tradunt Scriptores. Onuphrius tamen Panuinius ſecus ſentit, quippe qui exiſtimet ſupremos fuiſſe peractos XII. ſeculo ab Honorio, quem propterea reprehendit Baronius, quòd præcedenti ſeculo a Conſtantino Magno hujuſmodi ludos religiosè prætermiſſos graui licèt cum Romanorum dolore, quòd ludi antiquiſſimi, & in ſummo pretio habiti negligi viderentur, Honorius cum dedecore Chriſtiani nominis Chriſtianus ipſe reſtituerit. Verùm neque Zozimus agnouit ſeculares ludos poſt Severum, neque ludi, a Philippo Imperatore facti, ſeculares dicendi ſunt; quare octavi noviſſimi extiterunt.

Baron. Annal. ann. 313. n. 4

Zozim. hiſt. l. 2.

Apud Chriſtianos tandem Iubilei annum, quem uſque ad mundi hujus conſummationem minimè defiturum credimus, a ſacro veteris Teſtamenti Iobelo initium ſumpſiſſe arbitramur. Verùm quòd Romanæ Sedis peculiare ſtudium abolendæ ſecularium ludorum ſuperſtitionis, ac vanæ celebritatis illum a quinquageſimo ad centeſimi anni metam non ſine divino inſtinctu olim protraxerit, idque Bonifacius VIII Pontificio diplomate confirmaverit, probaveritque aſſentimur. In primis enim huic ſaniori, ac veriori ſententiæ conſentiunt Preces, quæ olim in apertione Portæ Sanctæ a ſummo Pontifice perſoluebantur, nempe. *Deus qui per Moyſen famulum tuum Populo Iſraelitico quinquageſimum annum remiſsionis, & Iubilei inſtituiſti, concede propitius nobis famulis tuis Iubileum centeſimum tuâ auctoritate inſtitutum &c.* Eamdem ſententiam confirmant Auctores non ignobiles, Bonifacij literas interpretantes, qui multò ante ejuſdem

Ioan. Bracard. in Diar. ann. 1499. die 24. Decem.

Ponti-

Pontificis ætatem, Iubileum centeſimum in uſu extitiſſe, Sabaudorum, & Belluacenſium quorumdam ſenum teſtimonio ducti, aſſeverant. Ab illis, ut Cardinalis Stephaneſius commemorat, Bonifacio relatũ fuerat, ſe a majoribus, qui proximo anno ſeculari ad Vrbem conceſſerant, ſeriò admonitos non ſemel fuiſſe, ut venturo anno centeſimo Romæ adeſſe ad lucrifaciendos indulgentiarũ theſauros properarent. Alijs demum publicis monimentis, ac validis, ſolidiſque argumentis, ea ipſa veritas comprobatur. Siquidem recenſent Iubilea anni Quadrageſimi noni poſt Chriſtum natum, & paſſum, & in Cœlos aſcenſum, Iſidorus, & Euſebius, Quinquageſimi verò Ioſeph Scaliger, & Petavius; de annis autem Iubilei, (quos perperam auſpicatur ab exceſſu Moyſis) deque annis Sabbaticis, Cappellus mentionem facit.

Card. Stephaneſius de centes.

Scaliger. in Euſebiũ par. 18. Petauius in rational. temp. lib. 2. c. 11.

Capell. in hiſt. ſacr.

Cõferunt etiam ad antiquitatem ipſam Iubilei ante Bonifacium ſtatuendam Diplomata Pontificia, ac præcipuè Decretales literæ ejuſdem Pontificis: *Antiquorum habet fida relatio, quòd accedentibus ad honorandam Principis Apoſtolorum de Vrbe Baſilicã conceſſæ ſunt magna remiſſiones, & indulgentiæ peccatorum.* Quibus ferè ijſdem verbis uſi fuerunt in literis indictionis, ac reductionis anni Iubilei Paulus II. Iulius III. & Clemens VIII. qui *Quemadmodum*, inquit, *veteri traditione, & majorum monimentis teſtatum eſt, antiquiſſimo Romanæ Eccleſiæ inſtituto, per decurrentes ſeculorum ætates, hoc eſt ſingulis centenis annis a Chriſti Domini, & Salvatoris noſtri natali, ampliſsimæ peccatorum indulgentiæ, & remiſsiones propoſitæ erant ijs, qui ſacra Beatorum Apoſtolorum limina piè, ac devotè viſitarent. Quam ſanè vetuſtam inſtitutionem anni centeſimi, non vanâ Gentilium ſuperſtitione, ſed religioſo cultu, & Chriſtianorum concurſu Romæ celebrandi fel. rec. Bonifacius Papa VIII.*

Bullar. in Bonif. VIII.

Paul. II. Iul. III. conſt. ſi Paſtores Cle. VIII. Annus Domini.

Prædeceſſor noſter ſuo Apoſtolico Decreto ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorum confirmavit &c. Itaque Cardinalis de Turrecrematâ cum Ioãne Theologo Canoniſtâ; *De initio*, ait, *hujus inſtitutionis indulgentiæ anni Iubilei nihil certi reperire potuimus, niſi quòd vulgariter dicitur, quòd ab antiquo tempore incæpit in annis centeſimis a Nativitate Chriſti, ſed propter multas tribulationes ortas in Orbe, multo tempore ceſſavit: poſt verò tempore Bonifacij Octavi circa annum milleſimum trecenteſimum fuit renovata.*

Card. de Turrecremat cum Ioanne Canoniſta in c. ſi quis §. Item cap. lenis. 25. de pœnit. diſt. 1.

Ioannes Monachus Cardinalis, quem ſecutus eſt Navarrus, teſtatur, a Sũmo Pontifice Bonifacio VIII. ſibi efflagitanti reſponſum fuiſſe, anno centeſimo ſe indulgentiam ejuſmodi duplici motivo conceſſiſſe; primùm, quòd vulgare eſſet, indulgentiam annis centeſimis a Nativitate Chriſti olim concedi conſueviſſe: ſecundò quòd vti Commentator inquit, *Sermo, qui famatur ab omnibus non eſt omninò falſus.*

Ioan. Monach Card. in 4. col. gloſſ c. 9. extravag.

Gregorius Toloſanus refert, Gregorium Magnum ad exemplum veteris Iubilei centeſimo quoquo anno viſitantibus Baſilicam Principum Apoſtolorum remiſſionem, & plenariam indulgentiã conceſſiſſe, adeòque verum Iubileum celebrari voluiſſe.

Greg. Toloſ. l. 2 Syntag. ver. Iur. c. 9. num. 3.

Angelus Pientinus exordium Conſtitutionis Bonifacij VIII. perpendens aſſerit: *Verùm quia ex ÿs conſequi videtur, Iubileum non multis ante annis ab Eccleſiâ fuiſſe inventum, ut Polydorus Virgilius lib. de rer. invent. Navagerius, & alÿ nonnulli Auctores Bonifacio illud adſcribentes apertiſsimè docent; ne nos quoque ejuſdem ſententiæ eſſe videamur, præmittendum eſt, prorſus quidem quando haberi cæpit, ignorari: quòd tamen ante Bonifacÿ tempora multis annorum curriculis, quamquàm non eãdẽ, quâ poſtea ſolemnitate, in vſu fuerit, & a pluribus fide dignis ſenioribus Scriptoribus (id enim magnâ diligentiâ per-*

Angel. Pien. lib. 1. cap. 9. verſ. Verum de Iubil.

perquiri) Bonifacius ipſe accepit, & Diplomate illo, quod de ipſo Iubileo edidit, haud obſcurè deſignàvit.

Pancirolus per mille annos ante Bonifacium VIII. fideles centeſimo quoquo anno Romam devotionis causâ pergere conſueviſſe aſſerit.

Panciról. lib. Teſori naſcoſti di Roma.

Auguſtinus Valerius Cardinalis Veronenſis, *Virgo,* ait, *Deipara pacem, ſalutemque Italiæ ferens, in Picano ſuæ domui ſedem optavit, Bonifacio VIII. Pontifice, qui primus ſacrum Iubileum centeſimo quoquo anno celebrandum certâ lege, & decreto Apoſtolico conſtituerat; licèt jam antea a majoribus receptum eſſet, ut qui ad ſacra Principum Apoſtolorum Petri, & Pauli limina ſeculares peregrinationes devotè obibant, indulgentias conſequerentur.*

Auguſt. Valer. in Comment. Anni Sancti.

Boetius *Noluit,* inquit, *Bonifacius annum centeſimum jam olim Iubileis aſſuetum certas ob cauſas mutare.*

Boet. de Iubil. & Indul.

Victorellus, alijque non obſcuri nominis Auctores idipſum confirmant, inter quos Franciſcus a S. Auguſtino Macedo, vir acutus, & doctus, ac in omnium ſcientiarum genere verſatiſſimus; is ita ſcribit, *Bonifacius VIII. anno* MCCC. *centeſimo quoquo anno Iubileum celebrandum ſtatuit Extravag.* 1. *de pænit. & remiſſ. fuiſſe autem illo multò antiquius Iubileum, & ille ibi ſignificavit, & Clemens VIII. in Bullâ de Iubileis editâ apertè dixit.*

Victorell. hiſt. Iub. Pont. pat. 1.
Macedo de Clauib. Petri lib. 4. c. 7. de Iubil.

Cardinalis noſtro ævo diſertiſſimus, Guido Bentivolus in memorijs italicâ linguâ exaratis *Nota,* ait, *res eſt, quòd antiquitus in fine cujuslibet ſeculi Pontifices Romani Iubileo univerſali indulgentiarum theſauris inſignito largiùs frui poſſe Chriſtianitati concedebant.*

Card. Bentiv. pag. 153.

Necnon Coquæus, cùm loquitur de Iubileo anno MCCC. refellit mendacia Mornæi verbis ex Navarro acceptis: inquiens, *Quare Bonifacius VIII. videtur potiùs novaſſe, & in ſcriptis eam Conſtitutionem omnium primus redegiſſe, quàm inveniſſe.* Subdit mox alia ver-

Coqu. in Antimor. par. 2. pag. 178.
Navarr. in Comment. de Iub. & Indulg.

 ba

ba Navarri, reprobantis opinionem Polydori Virgilii aſſerentis, primum inventorem Iubilei fuiſſe Bonifacium VIII. & citat Blondum *decad.2. lib.9.* S.Antoninum *par. 3. tit.10. c.8. §.2.* Sanderum *lib.7. de viſibili Eccl. Monarch.n.985.*& Cranzium *lib.8.Saxon.c.36.*

Guaz. Chron. pag.254.

Marcus Guazzus in Chronicâ Hetruſco idiomate exaratâ, cùm de Iubileo, ejuſque initio diſſerit, verbis hiſce in latinum verſis ait, *Omnes anteceſſores Pontifices, qui initio cujuslibet centeſimi anni a Nativitate Domini noſtri* IESV *Chriſti ſuperſtites erant, magnâ ſolemnitate ejuſmodi Nativitatis ſolemnia celebrabant. Itaque Papa Bonifacius VIII.Romanus Antiſtes, anno milleſimo trecenteſimo ab ejuſmodi Nativitate ſedens in Petri Cathedrâ ordinavit magnum Iubileum.*

Ghirard.hiſt. Bonon.lib.13 pag.410.

Cherubinus Ghirardaccius vetuſtam Iubilei celebritatem centeſimo quoquo anno Romæ in uſu fuiſſe credit; & ſententiæ S.Auguſtini adhærere aſſerens, omnes nempe ſolemnitates, quæ in Eccleſiâ Dei ritè ſervantur, quamvis de earum origine non conſtet, Apoſtolicâ tamen auctoritate initium ſumpſiſſe pro certo haberi, propterea anni Iubilei inſtitutionem vel ab ipſis Apoſtolis, vel ab eorum propinquis Succeſſoribus de ipſorum mandato derivatam fuiſſe concludit.

Rutil.Benzon lib.4. de Iubil. cap.5.

Rutilius Benzonius plures congerit probationes, quibus evincere ſtudet, indulgentiam anni centeſimi multò antiquiorem eſſe Bonifacio VIII. eumque nihil addidiſſe, niſi antiquæ conceſſionis confirmationem majoremque celebritatem.

Carol. Carthar Syllab. Advoc. Conſiſt.pag.2.

Carolus Chartarius Sacri Conſiſtorij Advocatorum Decanus, affinis noſter (cujus debitas tum probitatis, & candoris animi, tum eruditionis, & doctrinæ laudes reticemus, ne ad eas exprimendas aliquo ſanguinis amore ducti videamur) ita de Bonifacio VIII. ſcribit. *Anno* MCCC.*magni Iubilei ſolemnitatem ſeculari cen-*

tum

tum annorum decurſu celebrari conſuetam, innumerâ populorum frequentiâ Vrbem catervatim ingredientium celebravit, & Diplomate marmoreâ Tabulâ inciſo, perpetuis temporibus celebrandum ſancivit.

Accedunt denique pro coronide hujus ſententiæ Silveſtri II. Pontificis Vindiciæ a magni nominis, & auctoritatis noſtro hoc ævo, eruditione eccleſiaſticâ præſtantiſſimo Viro, Ioſepho Suareſio Epiſcopo olim Vaſionenſi, ſic ſcribente. *Hoc anno M. ſilentium Iubilei admiratur Crantzius, ipſe tamen Romam veniſſe Othonem Imperatorem III. narrat, eo anno M. peregrinantem &c. Robertus quoque Rex Francorum hoc ipſo anno Romam advênit in pervigilio Apoſtolorum, liminaque ſacra ipſorum viſitans, in Baſilicâ S. Petri ſuper Altare poſuit Chirographum, ſeu Schedulam, in quâ reſponſorium erat (quod incipit Cornelius Centurio) muſicâ ratione notatum, & ab ipſo Rege compoſitum. Gnuto Rex Daciæ, ſeu potiùs Daniæ, & Angliæ Romam præterea convênit Chriſti causâ, Sanctique Petri Baſilicæ ingentia dona religiosè attribuit. Garcia item Abarca Rex Vaſconum, & Aragonum dictus Tremulus Vrbem petijt orationis ergo. Quis igitur Iubileum annum fuiſſe tunc dubitet? cùm tot illuſtres Peregrini confluxerint in Vrbem votorum, & ſupplicandi, remiſſionumque gratiâ. Iubilei enim celebritas a Bonifacio VIII. non inſtituta fuit, ſed reſtituta potiùs. Quamvis enim convolare conſueviſſent quicumque Chriſtiano cenſebantur nomine ad Vrbem, ut Reliquias, & Tumulos Principum Apoſtolorum, & Martyrum venerarentur ſepiùs (uti de Carolo Magno, Ludovico Pio, & Geraldo Comite Aureliacenſi Eginhartus, & Quercetanus commemorant, alibique de Iubileis tractans obſervavi) centeſimo nihilominùs anno frequentiùs, ac denſiùs eò commeabant, ſive ad avertendos hominum animos a ſuperſtitione ſecularium ludorum, ſive ad Moſayci Iubilei anni, qui*

Ioſ. Suareſ. Vindic. Silveſtr. II. c. 2. §. hoc anno.

Crantz. l. 3. c. 39. 40. & 46.

Volaterr. lib. 3. Chronic. Martin. S. Antonin.

Blanca p. 17.

typus erat Chriſtiani, pietatem exſuperandam. Inſinuat id Bonifacius ipſe in Diplomate, quo Iubileum indicit, & majorem concurſum fuiſſe Peregrinorum anno a Chriſto nato MCC. *ſub Innocentio III. ad Vrbem adeuntium, & Baſilicas ſacras circumeuntium è teſtimonijs quorumdam, qui ſuperſtites adhuc vivebant, compertum eſt. neque ſub Paſchale II. ad annum* MC. *frequentiam illam defuiſſe ambigendum. Colligitur, quòd pariter ſub Silveſtro II. anno ſupradicto* M. *extitiſſe illam, cùm Imperator Otho, Reges Francorum, Anglorum, atque Danorum, Aragonumque, & Abbates, Virique Principes, & ſanctitate clari Romam petierint, immò & antea ſedente Benedicto IV. ad annum* CM. *& Leone III. ad annum* DCCC. *quin & ſub Sergio I. ad annum* DCC. *tritum illud iter, ſed confertioribus cum turbis, facilè pervolventibus Annales Eccleſiaſticos innoteſcet. Iure igitur ſub Silveſtro II. Iubilei feſtivitatem Romæ celebratam alij jam affirmarunt.* Hucuſque Suareſius.

Ne tamen contrarias haud ignobilium Auctorum ſententias nos non percurriſſe, vel omnino neglexiſſe redarguamur, eas minimè reticendas putavimus, nempè S. Antoninũ, & Ioannem Friburgenſem ingenuè fateri ſeſe alterius principij, quam Bonifacij VIII. prorſus expertes: cùm neminem ex Hiſtoricis, qui de celebritatibus Eccleſiæ Romanæ, deque cogitatis, ni dicamus geſtis Romanorum Pontificum ſcripſerunt, ne verbum quidem, quod Chriſtianorum in Vrbem ejuſmodi centeſimo Iubilei anno ad Petri limina veneranda ſpectet concurſum, ante Bonifacij tempora protuliſſe legerint. Nec facilè quidem licêret tot tantoſque præſtantes viros vel quicquam de retroactis Iubilei annis ignoraſſe, vel minùs diligenter tantæ rei originem inveſtigaſſe, ſine magnis tum rationis, tum auctoritatis, tum hiſtoriæ fundamentis aſſerere. Quæ ſanè

S. Antonin. in ſumm. p. I tit. 10. c. 3.
Io. Friburg. de Indul. q. 6

ſanè ad negativam ſententiam adſtruendam aptè concurrunt. In primis enim de anteacti Iubilei celebrandi ritu nullum verbũ legitur in antiquis Ceremonialibus, quorum antiquiſſimum eſt Ordo Romanus ſub Stephano II. & Pipino compilatus. *Ordo Rom.* Immò quòd in moderno Cæremoniali, quod Marcellus Archiepiſcopus *Carem. Rom.* Corcyrenſis Ceremoniarum Magiſter ſuum aſſeruit, nihil de ritibus aperiendi, & claudendi Portas aureas appareat, evincit negativam præſtare ſententiam. Atque obiter animadvertimus illud, quod ſibi Marcellus attribuit, alieni laboris partum extitiſſe, adeòque Marcellum ex verſiculis ab alio editis ſibi honorem tuliſſe fatendum eſſe. Vidimus enim in Bibliothecâ *Vat. Codex ſign. n. 4757.* Vaticanâ vetuſtiſſimum Codicem mss. ſignatum numero 4757. quem penes Nos aſſervandum exſcribere placuit; qui ad verbum concordat cum prædicto Ceremoniali Marcelli. Propterea ſi is illum edidiſset, proculdubio, cùm floruerit poſt Alexandri VI. Iubileum, quem ex Diarijs Bruccardi conſtat ritè aperuiſſe, & clauſiſſe Portam auream Vaticanam, in eo indubiè ritum ab Alexandro adhibitum exaraſſet. Preterea mira res eſſet, Innocentium III. ſacris ritibus exercendis, celebrandiſque verſatiſſimum, qui & innumeros tractatus edidit eruditione Eccleſiaſticâ refertos, ac ſederat in Petri Cathedrâ, ſeculari anno MCC. de anni tamen Iubilei celebritate, deque ritu per ipſum in ejuſmodi celebratione adhibito, nihil omnino prodidiſſe. Scriptores pariter, qui ad vnguem præclariſſima tanti Pontificis geſta æternitati conſignarunt, ac inter illos Abbatem Vrſpergenſem, eâ ipsâ ætate florentem, & Ludovicum a S. Carolo, ac Franciſcum Boſquettum in notis ad ejuſdem Innocentij Epiſtolas nihil omnino, quod ad annum Iubilei ab eo celebratum pertinêret, vel levi brachio tetigiſse. Immò Innocen- *Abb. Vrſperg. Ludov. à S. Carol. Franc. Boſquet in not. ad epiſt. Innoc. III. tit. 2*

tius

Innoc. III. litt. dat. an. 9119.

tius ipſe in Canonicos Baſilicæ Vaticanæ admodùm liberalis, cùm inter cætera in eos collata beneficia, proximo tunc imminente ſeculari anno MCC. reditum ſignorum ſtanneorum ſacras Sanctorum Petri, & Pauli imagines præſeferentium attribuiſset (ſigna hæc in teſtimonium conſummatæ viſitationis ſacrorum liminum Peregrini pileolo vel exomio reduces affigebāt) nullam ejuſmodi muneris mētionem feciſse comperitur. Et ſiquidem eam non omiſiſset, dum proximè tunc ſecuturo anno Iubileo affluentium Peregrinorum ad eamdem Baſilicam concurſu, collatis undique ſymbolis, ac ſtipibus reditus ille ſummopere augeri contigiſset. Extat etiam in Archivo dictæ Baſilicæ Vaticanæ Bulla Nicolai IV. quâ recenſentur quæcumque indulgentiæ quibuslibet, ſingulorum annorum temporibus, eamdem Baſilicam viſitantibus conceſſæ, eæque ſpecialiter confirmantur. Verùm de anni Iubilei indulgentijs ab Innocentio III. vel a reliquis Prædeceſsoribus, licèt tunc imminêret ſecularis annus MCC. ne verbum quidem legitur.

Bulla Nicolai IV dat 6. Kalend. Martij Pont. ann. II.

Baronius autem antiquitatis Eccleſiaſticæ indagator, omnium quidem celeberrimus, quem ideò cæteris haud immeritò præferimus, in duodenis annalium Codicibus nullam ante Bonifacij VIII. tempora de Iubileo a Chriſtianis celebrato mentionem habuit, ſed de Iobelo tantùm Legis Moſaycæ quinquageſimo (cujus uſus extitit in Eccleſiâ Catholicâ ab anno MCCCL. ex reductione Clementis VI. de quâ infra) in exordio narrationis anni a Nativitate Domini CDL. disertè protulit. *Quinquageſimus poſt quadringenteſimum Domini illuxit annus, Iubilei numero cōſecratus fauſtus, & felix, quo depulſis tandem tenebris, cęlitus miſſa lux obtectas caligine Orientales illuſtravit oras, & Occidentales mærore ſquallentes exhilaravit: etenim moritur,*

Bar. an. 450.

Theo-

Theodoſius Imperator, cujus favore impietas mirum in modum invaluerat, ac neci traditur malorum omnium auctor Chryſaphius, & inventor hæreſis Eutyches exulat: atque ad damnationem Dioſcori jam judicium præparatur, ut planè Propheticum illud licuerit occinere canticum Iſaiæ 14. quomodo ceſſavit exactor, quievit tributum? contrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium. Tot igitur donis, tantiſque muneribus divinitus impertitis, circumagitur præſens annus, dicendus planè præ bonorum fæcunditate annus benignitatis, cui & aptari poteſt illud Davidicum pſalmi 67. Benedices coronæ anni benignitatis tuæ, & campi tui replebuntur ubertate. Hæc ad verbum referre placuit, ut cùm ſemel a Baronio in ſuis annalibus vox Iubilei uſurpetur, nec alibi præterquam hoc in loco reperiatur, argumento ſit, eum in eorum decurſu annorum nullum Iubilei annum inveniſſe, qui ad Iubilei Chriſtianorum celebritatem referri poſſit; quare tunc ijs tantùm verbis eſt uſus, quæ non utique ad libertatem ſpiritualem ex lucro indulgentiarum, ſed ad libertatem Eccleſiæ temporalem extinctâ impietate ac tyrannide omnino pertinent.

Verùm ut ante annum MCCC. Baronius de anni Iubilei celebritate in Eccleſiam Catholicam inductâ ſiluit; ita deinceps nec ipſe, nec Raynaldus ullum ejuſdem celebritatis annum prætermiſerunt, immò ſingulos, eorumque geſta, eventus, & pia Peregrinorum vota, & ſuffragia ſingillatim enarrarunt. Quid plura? Iacobus S. Georgij ad velum aureum Diaconus Cardinalis Cajetanus de Stephaneſijs, Bonifacij nepos, qui carminibus, & ſolutâ oratione hiſtoriam texuit de Iubilei anno MCCC. nullum in Archivo Vrbis monimentum ejuſce anteactæ celebritatis adinvenire potuiſſe teſtatur. Itaque Alexander VI. Conſtit. *inter multiplices*, & alterâ, quæ incipit *Conſueverunt*: *Sanè*, inquit,

Bar. in not. mss. in Bibl. Vallic.

Bulla Bonif. §. quod ſolicitis.

quit,

Bulla Alex. VI. inter multiplices dat. 13. Kal. Ianuar. & Conſtit. conſueverunt dat. prid. Idus April. 1499.

quit, *cùm annus Iubilei remiſſionis, & gaudij, qui quolibet anno centeſimo ab illius primavì ordinatione per fel. record. Bonifacium VIII. inſtitutus* &c. Et Rubeus in vitâ Bonifacij in hanc arenam deſcendens, *ancipitem apud ipſum Pontificem, ac penè citra fidem opinionis rumorem antecactæ anni Iubilei ſolemnitatis agnovit, ejuſque notitiam revolutis librorum monumentis nuſquam reperiri confirmavit. Ex eo inquiens, quòd forſan non tantum veritatis, quantum opinionis ejuſmodi celebritatis aſſertioni ſubeſſet: quinimò ipſis in teſtimonijs quorumdam ſenum adductis, multiplex fama vacillaret, itaque manifeſtum evaderet, Bonifacium condidiſſe non inſtauraſſe ſecularem annum*: ſubdens, *nam ſi Bonifacio jubente revolutis vetuſtorum librorum monimentis, ejus anni cognitio, Stephaneſio aſſerente, in lucem non vênit, nec docente Silveſtro apparêre potnit manifeſta* &c.

Rubeus in Vita Bonif. VIII

Confovetur ejuſmodi aſſertio cęleſti viſione cujuſdam Clerici S. Georgij, de quâ Raynaldus ita ſcribit: *Conſentit obiectum cæleſte Clerico Eccleſiæ B. Georgij, cui præerat Iacobus Cardinalis, qui illud hiſtoriæ mandavit in lib. de Iubil. c. 10. oſtenſum. Cùm enim Virginem filium geſtantem ſupplex, vt ſibi videbatur, adoraret, hæc verba excepit. Omnibus miſerans indulſit Deus. Ad quam ille, num mihi? ſubticuit Mater; duriùſque poſt morulam, inquit, omnibus miſerans indulſit Deus vivis, & mortuis (ita nimirum, vt par eſt ad divinam gratiam comparatis) ſubſtratus iterum; num mihi? cui nec jam reſponſo dato ne forſan aliquâ peccati labe fœdaretur trepidanti ſubjunxit: indulſit omnibus mortuis, & vivis miſerans Deus, tibique.*

Raynald. ad an. 1300. n. 7.

Quare P. Laurentius Brancatus de Lauræâ, acri vir ingenio, doctrinâ multiplici, eruditione eximiâ, noſtri amantiſſimus, ita ſcribit. ***Anni Sancti Iubileū pro quolibet centeſimo fuit inſtitutū a Bonifacio VIII. Extra, de pænit.***

Laur. Epit. Can. v. Iubileum.

Ioan-

Ioannes Trithemius de multis Peregrinis Romam profectis anno MCCC. agens; *Res*, inquit, *non audita priùs, & nova, ut tanta multitudo ex omni Germaniâ Romam proficiſceretur: ita-ut infinita, & innumerabilis videretur: eo enim tempore Iubilei uſus in Eccleſiâ Romanâ eſſe cœpit.*

Io: Trith. Chron. Hirſaug.

Iacobus Mejerus in Annalibus Flandriæ ita aſſerit; *Iſto anno* MCCC. *Iubileum ſuum a ſe primò inſtitutum Romæ Bonifacius cum grandi mortaliũ concurſu celebravit*

Meier. Annal. Flandr.

Polydorus Virgilius ait, *Bonifacius VIII. ad hæc ſacra loca viſenda piorum maximè incitavit ſtudium, qui primus omnium Iubileum retulit anno, qui fuit trecenteſimus ſuper milleſimum ſalutis humanæ.*

Polyd. Virg. de rer. inuen. lib. 8. c. 1.

Iacobus Philippus Bergomas italo tamen ſermone; ita. *Romæ Iubileum initium habuit hoc anno a Bonifacio Pontifice.*

Iacob. Philip. Berg. in ſup.

Anonymus in vitâ Bonifacij VIII. impreſsâ in 6. Decretal. *Iubileum quoque*, inquit, *Bonifacius retulit anno milleſimo trecenteſimo, & centeſimo quoquo anno obſervari mandavit.*

Anonym. in vit. Bonif. impr. in 6. Decretal.

Gratioſus Vbertus cùm de anno Sancto loquitur, ait, *Bonifacius VIII. Annum Sanctum pleniſſimæ indulgentiæ celebrandum quolibet anno centeſimo ſecuturo, ut ad Baſilicas Apoſtolorum accedentes &c.*

Grat. Vbert. in legal. congreſſ pag. 182. & ſeq.

Onuphrius Panvinius, & Abrahamus Bucholcerus primum Chriſtianorum Iubileum in annum MCCC. rejiciunt.

Onuphr. Panu. Chro. Eccleſ pag 152. Abrah. Buchol. Chron. ad d. ann.

Hieronymus Ghilinus Italico ſermone quem nos latinè reddimus, ſic ait. *In præſenti anno milleſimo trecenteſimo Summus Pontifex Bonifacius VIII. ſanctiſsimum Iubileum in beneficium animarum fidelium decrevit, quod fuit primum in Eccleſiâ Catholicâ inſtitutum.*

Ghilin. in Annal. Alexandri. ad ann. 1300.

Nicolaus Cauſſinus hæc aſſerit, *Annus primus Iubileus a Bonifacio VIII. inſtitutus arâ Chriſti* MCCC. & rurſus

Nic. Cauſ. Ephemer. die 1. Ian. & 23. Dec.

ſus. *Bonifacius VIII.* &c. *Iubileum magnum poſt annos C. recurrens inſtituit.*

Dom. Temp. in Vita Bonif. VIII.

Dominicus Tempeſta Iubileum à Bonifacio VIII. anno MCCC. primùm inſtitutum fuiſſe commemorat his verbis. *Et Iubileum, religioſiſſimam peccatorum expiationem inſtituit, quæ centeſimo quoque anno celebraretur.*

Laur. Beyer. Theat. vit. hum. verb. Annus.

Laurentius Beyerlinck ita de Iubileo Chriſtianorum ſcribit. *Bonifacius VIII. Papa anno ſalutis* (ſed errat) MCCXCV. *Iubileum annum inſtituit, & centeſimo quoque anno renovari juſsit: & illis, qui Romam venirent, & ibi preces ſuas effunderent ad D. Petri, atque Pauli ſepulchra peccatorum omnium plenam condonationem promiſit, ut populum Romanum ab inani ſecularium ludorum celebratione ad verum ſolemne ſacrum reduceret.*

Sabell. Ennead. lib. 9. Ammir. hiſt. l. 4. Tarc. Par. 2. l. 15. Bugat. hiſt. l. 4. Guicc. lib. 2. Camp. hiſt. l. 6. Rub. hiſt. Rau. l. 6.

Verùm de his ſatìs. Etenim ne pluribus fatigemus Lectorem, ex induſtriâ omittimus Sabellicum, Scipionem Ammiratum, Ioannem Tarchagnotam, Gaſparem Bugatum, Ludovicum Guicciardinum, Cæſarem Campanam, Hieronymum Rubeum, cæteroſque celebres Hiſtoricos, Bonifacium VIII. primùm Iubilei inſtitutorem aſſeverantes. Illos ſiquidem intelligendos eſſe, non quòd Bonifacius Iubilei celebritatem de novo induxerit, & inſtituerit, ſed quòd certis quibuſdam legibus, ac ſolemnibus cęremonijs primus omnium Pontificum firmaverit, & ſtabilierit, teſtimonio Pontificiorum Diplomatum, ac piæ prædictorum, aliorumque magni nominis Auctorum ſententiæ, perlubenti animo ſubſcribimus: inter quos ita Lezana in rem aptè loquitur. *Omiſsis autem varijs Iubilei acceptionibus, in præſenti ſumitur ex uſu Eccleſiæ primo pro ſolemniſsimo illo quo ſpecialibus cæremonijs Bonifacius VIII. anno* MCCC. *ſtatuit centeſimo quoque anno Romæ celebrari; eſto eſſet priùs in uſu Eccleſiæ.*

Io: Bapt. Lez. quæſt. reg. tom. 3. ver. Iubileum.

CA-

Digitized by Google

CAPVT V.

Anni Iubilei inſtitutio unde accepta.

IVbilei anni celebritatem a ſacro veteris Teſtamenti Iobelo acceptam jam ſupra probavimus; ac denuò confirmamus a quinquagenaria ad ſecularem annorum revolutionem, non ſine divino conſilio, exinde translatam fuiſſe: quemadmodum Clemens VIII. in ſuo Diplomate eleganter aſſerit, ut poſtremo cujuslibet ſeculi anno, longiſſimo humanæ vitæ ſpatio, in ipsâ Arce, & domicilio Chriſtianæ Religionis, tanti beneficij memoria a cunctis Chriſti-fidelibus recolatur, Servatoris videlicèt noſtri adventûs. Itaque minimè conſentit revolutio ſecularis Ethnicorum anni, quæ non coincidit cum centeſimo noſtro a Chriſti Nativitate deſumpto. Attamen ſacram hanc noſtram a Summis Pontificibus ad abolendam ſecularium Ethnicorum ludorum ſuperſtitioſam celebritatem a quinquagenariâ ad ſecularem protractam eſse, & nos ipſi aſſentimur, nec Auctores deſiderantur, qui id ipſum comprobent, ac in primis idem Clemens VIII. in pręfato Diplomate ſubdens: *Vetuſtiſsimam anni centeſimi inſtitutionem, non vanâ Ethnicorum ſuperſtitione, ſed religioſo cultu, & Chriſtianorum concurſu Romæ celebrandi fel. rec. Bonifacius VIII. Prædeceſſor noſter ſuo Apoſtolico decreto, ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorum confirmavit.*

Ita quidem Petrus Creſpetius inquit, *quolibet centeſimo inſtitutam fuiſſe celebritatem Iubilei ad re-*

Digitized by Google

Petr. Creſp. Sum fid. Chriſtian. & diſcip, Eccleſ. verb Iubileus
Pol. Virg. de rer. inuent. l. 8. c. 2.

vocandum populum Romanum a ludis ſecularibus , & Polydorus Virgilius ſic aſſerit ; *Idem Pontifex* (ideſt Bonifacius VIII.) *Iubileum centeſimo quoquo anno ſervari mandavit : quod feciſſe videtur, ut populum cùm primis Romanum ab inani ſecularium ludorum celebratione ad verum ſolemnè ſacrum revocaret* . Niſi potiùs ſubſcribere velimus Iulio Roſeo Scholiaſti dicenti , *Non eſt prætereundum , illud factum eſſe , quia centeſimo quoquo anno Natalis Chriſti celebritas maxima eſſe conſueverat , quæ ratio ſi vera eſt , & fidem quibuſdam habeamus , non eſt quòd alia addamus* . Roſeum ſecuti ſunt Marcus Guazzus, & Lorinus, qui hæc adjicit ; *eâ autem ratione Bonifacius ſecularem celebritatem inſtituit , vel reſtauravit , quam affert Cardinalis Stephaneſius de Iubil. c. 12. præcit. quòd ea , quæ rarò exhibentur alimenta avidiùs ſumuntur, dum quiſque in vanum gratiam elabi, quam ſibi nunquam redituram ſperat, refellat* . Hinc igitur evênit , ut rari ad Vrbem ejuſmodi Iubilei adipiſcendi gratiâ confluxerint, cùm Apoſtolica Sedes tempus contraxerit , ac frequenter Iubilea , ſeu plenarias indulgentias elargiri poſtremis ſeculis conſueverit : Præterea Iubileum ipſum Anni Sancti, quod inſtantiſſimè olim Regibus petentibus denegabat, mox etiam Italiæ vicinioribus Principibus indulſerit. Quod certè inſigne eſt Apoſtolicæ Sedis munificentiæ, ac paternæ erga Principes, & fideles populos dilectionis argumentum .

Schol. in lib. Card. S. Geor. de centeſ. c. 12.

Marc. Guaz. in Chron. citat. 254. Lorin. in c. 25. Levit.

Hujus rei veritatem a Romanis apprimè cognitam, nobis haud obſcurè indicant verba, quibus olim Præco populum ad ludos ſeculares invitabat, ad eoſque viſendos incitabat ; nempe : *venite ad ludos , quos nemo mortalium vidit, neque viſurus eſt ; nam ſeculum centum continet annos*, extra quos mortalis vita non tendit.

Feſtus & Herodianus hiſt. lib. 3.

Nec ideò mirum , quòd centeſimo quoquo occurrente

rente anno fideles frequentiùs olim ex Ethnico populo ad ſeculares ludos Romàm petere aſsueto didicerint ad ipſam avidiùs peregrè proficiſci; ut ubi ab ipſis naſcentis Eccleſiæ incunabulis religioſo inſtituto cæptum fuerat laudibus, proſtrationibus, & precationibus Apoſtolorum memorias venerari, quorum præcipuis meritis theſaurum Eccleſiæ ſuccreviſse cognoverant: ibi ſupplicabundi veras divitias lucrifacere ſatagerent. Et ſanè inter innumeros illas adepturi Marius, Martha cum filijs, Zoas, Simplicianus, compluresque alij è Romano Martyrologio, Apoſtolorum meritis confirmati, orantes ad eorum ſacra pignora confoſſi, martyrij palmam conſecuti ſunt, ac Eccleſiæ ipſi indulgentiarum cumulo de proprijs meritis, ſi quædam inde abſtulerant ſpiritualia ſubſidia ad robur ineundi martyrij majora alijs profutura ſuis paſſionibus reddiderunt. Adeòque ſacri itineris ad Vaticanam Baſilicam præcipuè ſuſcipiendi religio propagata fuit, ut non tantùm ex plebe infimæ gentes è finitimis, ac remotioribus etiam mundi partibus; ſed ut Auguſtinus ad Madaurenſes inquit, *Imperij etiam eminentiſsima culmina ad ſepulcrum Petri ſubmiſſo diademate ſupplicabundi convenerint.* Quin addit Euſebius Cæſarienſis: *Sacrilegij loco apud primævos Chriſticolas poſitum eſſe, Memoriam B. Petri in Vaticano ſemel in vitâ coràm non venerari:* Itaque Pulcheria Auguſta Romam ſæpiſſimè veniens, quæſita reſpondit, *ut Terminis Sanctorum noſtram exhibeamus præſentiam, & ſacrilegium credimus, ſi ſolemnem ordinem denegemus.* *S. Auguſt. ad Madaur. to. 2 epiſt. 43.*

Nicolaus verò primus hujus nominis Romanus Pontifex Epiſtolâ ad Michaëlem Conſtantinopolitanum Imperatorem, & aliâ ad Deſiderium Longobardorum Regem narràns, quo fervore, & pietate olim fideles ad Vrbem convolarent, ut indulgentias adipiſce- *Nicol. I. epiſt. ad Michaelem, & ad Deſiderium.*

ſce-

ſcerentur,dixit quòd *Chriſtianus non cenſebatur,qui ſemel in vitâ Sepulchrum Principis Apoſtolorum coram venerari neglexiſſet* .

Et S. Ioannes Chryſoſtomus: *Qui deſiderabantur*, ait, *& circumducebantur, qui contempti erant, & vincti: ubi functi ſunt, Regibus ipſis erant magis venerabiles etiã Romæ, quæ Vrbium eſt religioſiſsima ; relictis enim omnibus ad Sepulchra Piſcatoris,& Pellionis currunt Reges,& Præſides, & Milites* . Horum verò anteſignanus extitit Conſtantinus Magnus,qui in Vaticanam Principis Apoſtolorum Memoriam (quam ſecundo ſeculo a Chriſto nato Cajus Theologus aſſeruit inſignem: & ad quam Chriſtiani tamquam ad fidei petram , & Eccleſiæ Catholicæ fundamentum conveniebant) octavo die a ſuſcepto baptiſmate apud illam depoſito diademate, & humi procumbens, vim lacrymarum fudit. Sumpto deinde ligone,ac bidente terram eruit,& ablatis duodecim terræ cophinis , in honorem duodecim Apoſtolorum, quos ibi uti membra in capite colendos agnoverat, loco novæ Baſilicæ deſignato, Eccleſiam ibi munificentioris ſtructuræ excitavit. Ad eam ſucceſſu temporis Valentinianus II. Imperator cum Gallâ Placidiâ Matre anno CDXXXV. Sixto III. Pontifice primùm profectus eſt; ac ſecundò cum Eudoxiâ Vxore , ut refert Vincentius Belluacenſis. Id ipſum tradunt de Honorio, & Othone II. pariter Imperatoribus, nec-non de Conſtantino III.ſub Vitaliano Pontifice, de duobus Saxonum Regibus ſub Conſtantini Pontificatu : de Deſiderio Longobardorum Rege: & de Carolo Magno, Anaſtaſius: de Gedualdo pariter Saxonum Duce, Onuphrius Panvinius: de Enredo Rege Moſci,Beda: de Riccardo Rege Angliæ, & de Duce de Bajoarijs,Paulus Diaconus:de Michaële Orientis Imperatore,Nicolaus I.De Carolo IV.Impera-

S. Ioan. Chryſoſt. adverſ. Gentil.

Caius Theolog.

Vincent. Belluac. in Spec. hiſtorial. lib. 12.

Anaſtaſ. Bibliot. de vit. Pontif. ad ann. 655. 718. 717. & 800.

Onuphr. Panuin. de Pereg. ann. 689.

peratore, deque Edvardo, & Canuto Angliæ, & Daniæ Regibus, Raynaldus, Surius, & Malmesberienſis, Regis ipſius Epiſtolam ad verbum referens. Ex quibus *Carolus Magnus* (ut Anaſtaſius ait) *ſingulos veſtibuli Vaticani gradus deoſculatus fuit, antequam illos conſcenderet*. Itaque Ennodius Diaconus mox Epiſcopus Ticinenſis *Ad Sepulchrum*, inquit, *Apoſtoli Petri ex omnibus Orbis cardinibus devoti perveniunt*; & ſupradictus Nicolaus I. *Tanta*, ait, *hominum millia protectioni, & interceſsioni Beati Apoſtolorum Principis Petri ex omnibus finibus terræ properantium, ſeſe quotidie conferunt, & uſque in finem vitæ ſuæ apud ejus limina ſemet manſura proponunt, ut præter illud quo vas è Cælo ſubmiſſum, in quo cunctorum oſtenſa ſunt eidem Petro horum omnium rectori animantium genera, Catholicam ſignat Eccleſiam: etiam ipſa ſola Romanorum Vrbs, apud quam ejuſdem Apoſtoli corporalis præſentia ſedulò veneratur, cunctos dignoſcatur in ſe continere univerſorum animalium, quæ hominum intelliguntur ſpiritualiter nationes*.

Beda an. 731 Paul. Diac. ann. 741. & 774. Nicol. I. in epiſt. ad Michaelem. an. 858. Raynald. ad an. 1348. Sur. tom. 1. die 5. Ianuarij. Malmesberien lib 2. Anaſtaſ. in vit. Adr. Ennod. Diac. in Apolog. pro Sym. & Syn. Nicol. I. epiſt. ad Michael. Imper. Conſtantinop.

Ac ſanè neque novum, aut inconveniens videri debet, Eccleſiam Catholicam ex Gentilitate ſecularis Ethnicorum anni celebrandi ritum in melius immutaſſe; cùm pleræque ſolemnitates numerentur cum Fanis ipſis ab Idolorum vanâ ſuperſtitione ad cultum veri Dei olim translatæ, quæ adhuc religioſè ſervantur: ut gens ipſa ad Chriſti fidem nuper perducta, ideò in illâ libentiùs perſeveraret, quòd ſtatutis temporibus ad vetuſta loca conveniens, non omnia ſibi ex antiquo ritu ſublata intueretur; id-ipſum docet Divus Gregorius his verbis: *Cùm verò vos Deus Omnipotens ad Reverendiſsimum Virum fratrem noſtrum Auguſtinum Epiſcopum perduxerit, dicite, quòd diù mecum de causâ Anglorum cogitans tractatui videlicet, quia fana Idolorum deſtrui in eâdem gente minimè debeant, ſed ipſa, quæ in* eis

S. Greg. lib 9. ind. 4. epiſt. 71. ad Melit. Abb.

eis ſunt Idôla deſtruantur. Aqua benedicta fiat: In eiſdem fanis aſpergatur, Altaria conſtruantur, reliquiæ ponantur, quia ſi fana eadem benè conſtructa ſunt, neceſſe eſt, ut à cultu Dæmonum in obſequium veri Dei debeant commutari: ut dum gens ipſa eadem fana ſua non viderit deſtrui, de corde errorem deponat, & Deum verum cognoſcens, ac adorans ad loca, quæ conſuevit, familiariùs concurrat. Et quia boves ſolent in ſacrificio dæmonum multos occidere, debet his etiam hac de re aliqua ſolemnitas immutari, ut die Dedicationis, vel Natalitio Sanctorum Martyrum, quorum illic Reliquiæ ponuntur, Tabernacula ſibi circa eaſdem Eccleſias, quæ ex fanis commutatæ ſunt, de ramis arborum faciant, & religioſis conviviis ſolemnitatem celebrent: nec Diabolo jam animalia immolent, ſed ad laudem Dei in æſu ſuo animalia occîdant, & Donatori omnium de ſatietate ſuâ gratias referant: ut dum eis aliqua exteriùs gaudia reſervantur, ad interiora gaudia conſentire faciliùs valeant: nam duris mentibus ſimul omnia abſcindere, impoſsibile eſſe, non dubium eſt; quia is, qui locum ſummum aſcendere nititur, neceſſe eſt, ut gradibus, vel paſsibus, non autem ſaltibus elevetur. Sic Iſraelytico populo in Ægypto Dominus ſe quidem innotuit, ſed-tamen eis ſacrificiorum uſus, quos Diabolo ſolebant exhibere, in cultu proprio reſervavit; ut eis in ſacrificio ſuo animalia immolari præciperet, quatenus cor mutantes, aliud de ſacrificio amitterent, aliud retinerent, ut etſi ipſa eſſent animalia, quæ offerre conſueverant, verum-tamen Deo hæc, & non Idôlis immolantes, jam ſacrificia ipſa non eſſent.

Pleraque igitur ejuſmodi ex Gregorij doctrinâ a Sanctis Patribus non fuerunt deleta, ſed intacta ad poſteros tranſmiſſa, ut ita pertinaci Paganiſmo mutatione ſubventum eſſet, quem prætermiſſio vetuſtæ conſuetudinis prorſus irritaſſet. Ita quidem ad abolendas Ethnicorum agapes die anniverſariâ conſecrationis

tionis Ædium Martis (de quibus Dion) in memoriam partæ ab Auguſto Cæſare victoriæ de Marco Antonio, & Cleopatrâ, Theoſebiæ uxoris Theodoſij Imperatoris operâ, teſte D. Hieronymo, & Ioanne Belctho, cum ipſis convivijs, & ſympoſijs prophanis, tranſière in conſecrationis Eccleſiæ S. Petri ad Vincula celebritatem: eaque propterea feſtivitas S. Petri epularum dicta eſt.

Dion. lib. 60.

S. Hieronym. ad Euſtoch. epiſt. 35

Ioan Beleth. in rational. div. Off. cap. 141.

Epulæ olim, ac vina, unoquoque anno VIII. Kal. Martij ſupra parentum ſepulchra ab Ethnicis offerri conſueta, in Chriſtianorum convivia ad celebritatem utriuſque Cathedræ S. Petri tranſlata ſunt (ut idem Belethus tradit) quæ poſtea jam confirmato in fide Catholicâ Gentili olim populo, a II. Synodo Turonenſi vetita fuerunt.

Id. Belet. cap. 83.

Synod. Turonen. Can. 23.

Luſtralis aquæ in ingreſſu fanorum mox per Sacerdotem Catholicum expiatæ uſus, in Templis Chriſtianorum reſumptus, a Concilio Nannatenſi probatus eſt, quemadmodùm Bruccardus, & Micrologus teſtantur.

Bruccard. lib. 2 c. 12. Microl. de Eccleſ. cap. 46.

Salis, & aquæ admixtionem, quam pariter in luſtralis aquæ expiatione apud Gentiles in uſu extitiſſe ferunt Plinius, Ovidius, & Virgilius, in Eccleſiâ Catholicâ commutatam in melius fuiſſe, conſtat ex inſtitutione Alexandri I. teſte Anaſtaſio. Hic Leonem IV. Pontificem extructam, & mœnibus vallatam novam Civitatem Leoninam, cum univerſo Clero nudis pedibus circumijſſe, & ab Epiſcopis Cardinalibus aquam ſolemniter benedici, eâque inter orationum officia muros aſpergi præcepiſſe tradit. Idque pariter ad mœnia Civitatis Leopolitanæ ſuo nomine extructæ, ac nuncupatæ duodecim a Centum-cellis milliaria diſtantis peregiſſe commemorat. Guillelmus verò alter Bibliothecarius uſum aquæ benedictæ

Plin. lib. 12. cap. 14. Ovid. Metamor. lib. 9. Virgil. Eclog. 10.

Anaſtaſ. in Vit. Alex. I. an. 121.

Guillel. in ſuplem. Anaſt.

miraculo comprobatum, ſedente Stephano VI. Pontifice teſtatur, clade ſcilicèt locuſtarum, quæ Prædeceſſoris ſui Adriani III. tempore totam penè regionem vaſtaverant; *Stephanus*, inquit, ***ad Domini miſericordiam** confugiens, juxta Eccleſiam Principis Apoſtolorum veniens, ſeſe cum lacrymis in orationem dêdit: cùmque diutiùs oraſſet, ſurrexit, & aquam proprijs manibus benedicens, Manſionarijs præcepit dicens: tollite, & ſingulis diſtribuite, monentes, ut in nomine Domini agros ſuos circumeant, & hanc aquam ſpargant per ſata, & vineas; petentes Divinum ſibi ſuffragium, & ſubſidium: quo facto tanta Omnipotentis Dei ſubſecuta eſt miſericordia, ut ubicumque ipſa aqua conſperſa eſt, nulla penitus locuſta remaneret.*

Hinc verò liquet Litanias in triduo ante Aſcenſionem Domini Anno DVIII. ſeu ſecundùm Baronium DVII. a Synodo Aurelianenſi I. in Galliâ primùm inſtitutas his verbis: *Rogationes*, ideſt *Litanias ante Aſcenſum Domini placuit celebrari; itaut præmiſſum triduanum jejunium in Dominicæ Aſcenſionis ſolemnitate ſolvatur, per quod triduum ſervi, & ancillæ ab opere relaxentur, quò magis plebs univerſa conveniat. Quo triduo omnes abſtineant, & quadrageſimalibus cibis utantur*: deinde in Hiſpanias ex decreto Synodi Toletanæ invectas eſſe. Ejus verò inſtitutionis Sidonius Apollinaris Mamertum Viennenſem Epiſcopum prædicat auctorem, ut eo præſidio Civium ſuorum, qui ob multas de Cælo prodigia, & barbararum gentium incurſiones interibant, ſaluti conſuleret. Hæc porrò contigêrunt circa Chriſti annum CDLXXIV. ut ſcribit, S. Gregorius Turonenſis. Nec obſtat quòd aliqui dicant, S. Auguſtinũ ſermone CLXXIII. meminiſſe de ejuſmodi Rogationibus: ideòque Mamertum inſtauratorem, non earum inſtitutorem fuiſſe; nam præfatus ſermo, Auguſtini

Concil. Aurelianen. Can. 29.

Concil. Toletan. V. c. 1. & ſeqq.

Sidon. Apollinar. lib. 7. epiſt. 1.

Gregor. Turonen. lib. 2. hiſt. c. 24.

S. Auguſtin. Serm. 173.

Digitized by Google

ſtini non eſt, nec illius ſtylum ſapit, ſed eſt S. Cæſarij Arelatenſis, qui floruit anno CDXCIX. Immò ejuſmodi jejuniorum inſtitutio omnino adverſatur teſtimonio Ambroſij, Hieronymi, & Auguſtini, qui docent relaxanda jejunia inter octavas Paſchatis, & Pentecoſtes, ut advertit Amalarius Fortunatus in lectione S. Auguſtini apprimè verſatus. Poſt Mamertum Eſychius Eccleſiæ Viennenſis gubernacula ſuſcepit, cui ſucceſſit Avitus, qui de hoc agens ait: *Currit tramite viali non per Gallias modò, ſed per Orbem totum Rogationis obſervantiæ flumen irriguum*. Itaque Leo III. eas tandem in univerſo Orbe celebrandas decrevit: & Stephanus VI. ab imploratione opis ad extinguenda bellorum incendia, ad divinum auxilium pro frugibus terræ tunc florentibus a temporis iniuriâ tuendis impetrandum tranſtulit. Illis demum aquæ benedictæ aſperſiones adjectæ ſunt, cùm locuſtarum turba agros vexare cæpiſſet, ut Anaſtaſius, Belethus, ac luculentiùs quidem eruditiſſimus, & diſertiſſimus D. meus Cardinalis Bona teſtantur.

Bellarm. de ſcript. Eccleſ.

Amalar. Fortunat. lib 1. c. 37. de offic. Ecc.

Avitus Vienen. homil. in Rogat.

Anaſtaſ in Leone III ad ann. 795

Ioan. Belet. c. 124. de inuent & mod. Lytaniat.

Card. Bona in Harmon pſallent. Eccl. c. 14 §. 3. de pſalm. pænitent.

Eumdem verò ſalis, & aquæ admixtionis uſum probavit Alexander I. inquiens: *Aquam ſale conſperſam populis benedicimus: ut eâ cuncti adſperſi ſanctificentur, & purificentur; quod & omnibus Sacerdotibus faciendum eſſe mandamus. Nam ſi cinis vitulæ adſperſus ſanguine populum ſanctificabat, atque mundabat, multò magis aqua ſale adſperſa, diviniſque precibus ſacrata populum ſanctificat, atque mundat.* Idque comprobauit Concilium Moguntinum his verbis: *Veterem morem in Eccleſiâ ſequimur, dum ſalem, aquam, & cæteras quaſdam res in uſum fidelium præparamus, quemque præcipimus obſervari.*

Alex. I. epiſt. 1 ad omn. Orthodox. de Conſecr. diſt. 2.

Concil. Moguntin. Can. 33.

Candelarum, ſeu luminum nuncupatam celebritatem a Deæ Februæ, Martis genitricis cultu, in Purifi-

Durand. in rational. lib. 7 c. 7. n. 14. cationis Beatiſſimæ Virginis ſolemnia immutatam, tradit Durandus.

Ipſam denique Iubilei anni reductionem eâ ipſâ ratione humanę ſcilicèt vitę brevitatis in Eccleſiam Catholicam inductam fuiſſe conſtat. Siquidem, ut referunt Antias, T.Livius, M.Varro, Piſo, Agellius, & Val. Maximus, *Antiaſ. Livius. Varro Piſo. Agellius.* Quarti ſecularis anni ludi non expectato juſto tempore peracti fuerunt, L. Æmilio Lepido, & L.Aurelio Oreſte Coſſ. Quinti magno (ut Livius ait) apparatu, ab Auguſto arbitratu ſuo ad æquum tempus reducti, ut quilibet mortalium ejuſmodi ludos ſemel ſpectare poſſet. Sextos fecit Claudius Cæſar *quaſi anticipatos ab Auguſto nec legitimo tempori reſervatos: quamvis ipſe in hiſtorijs ſuis prodat intermiſſos eos Auguſtum multò poſt diligentiſſimè annorum ratione ſubductâ in ordinem redegiſſe*. *Sueton. in Claud. c. 21.* Sunt verba Suetonij; in quo obiter obſervavimus, præconis vocem tunc ad ejuſmodi ludos antiquo more non immutato invitantis irriſam fuiſſe: cùm ſupereſſent adhuc qui priores ſpectaverant, & quidam hiſtrionum olim in illis producti tunc quoque in his producerentur. Etenim Stephanionem, qui primus omnium togatis ſaltare inſtituit, utriſque ſecularibus ludis ſaltaſſe, Auguſti videlicèt, & Claudij, inter quos LXIII. anni tantùm interceſsêre, & poſtea diu vixiſſe, Plinius commemorat. *Plin. nat. hiſt. l. 7. c. 48.*

Ita planè Clemens VI. acceptam a Sanctâ Birgittâ, tunc inter vivos degente, Divinam revelationem implevit, cùm Iubileum annô MCCCL. celebraſſet, & unoquoque futuro quinquageſimo anno celebrandum conſtituiſſet, *Extravag. Unigenitus de pœnit. & remiſſ.* Quam ſanctionem confirmavit Nicolaus V. Subinde verò Urbanus VI. quinquageſimum ad trigeſimum tertium ætatis Chriſti annum reduxit, *Extravag. Immenſa eod. tit* ut conſtat literis Bonifacij ad Richardum Angliæ Regem, in quibus hæc habentur: *Urbanus VI.*

ſtatuit

ſtatuit, ut univerſi Chriſtifideles verè pœnitentes, & confeſſi, qui anno a Nativitate Domini noſtri IESV *Chriſti* MCCCXC. *tunc inſtante, & deinceps perpetuis temporibus de triginta tribus in triginta tres annos Baſilicas, &* Eccleſias *antedictas viſitarent*. Idipſum pariter liquet teſtimonio Pauli II. his verbis: *Et deinde Vrbanus VI. in ſuâ obedientiâ nuncupatus providè conſiderans, quòd ætas hominum ampliùs ſolito in dies laberetur pauciores, ac deſiderans quamplurimos ejuſdem indulgentiæ fieri participes, cùm ad annum quinquageſimum propter brevitatem vitæ plurimi hominum minimè perveniant, ut populorum augeretur devotio, fides ſplendêret, & charitas ampliùs incaleſceret, de Fratrum ſuorum conſilio annum quinquageſimum ſupradictum ad trigeſimum tertium reducens ſtatuit, quòd univerſi fideles verè pœnitentes, & confeſſi, qui anno a Nativitate ejuſdem Domini noſtri* MCCCXC. *& deinde perpetuis temporibus de triginta tribus annis in triginta tres annos Baſilicas Apoſtolorum, ac Lateranenſem, & S. Mariæ Majoris prædictæ Vrbis Eccleſias causâ devotionis viſitarent; eamdem prorſus conſequerentur remiſſionem, & veniam peccatorum. Poſtremò verò poſtquam fel. rec. Martinus V. Romanus Pontifex Prædeceſſor noſter reductionem per eumdem Vrbanum factam hujuſmodi ratam habens, & gratam, ipſam in ſuâ firmitate perſiſtere, & anno trigeſimo tertio ſupradicto obſervari debere cenſuerat, & ad effectum deduci anno ingruente prædicto permiſerat, prout obſervata extitit. Piæ rec. Nicolaus Papa V. ſimiliter Prædeceſſor noſter eorumdem Prædeceſſorum inhærendo veſtigiis, prædictas Clementis ejuſdem conceſſionis literas ratas habens, & gratas, eas de fratrum noſtrorum tunc ſuorum conſilio, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine innovavit, & approbavit, ſuique ſcripti patrocinio communivit, indixitque, ſtatuit, decrevit, & ordinavit, ut omnes Chriſti-fideles verè pœnitentes, & confeſſi*

Bonif. IX. Conſtit. exigunt devotionis.

Paul. II. Conſt. ineffabilis.

feſſi, qui juxta formam in literis Clementis Prædeceſſoris hujuſmodi comprehenſam, anno a Nativitate Domini noſtri IESV *Chriſti* MCDL. *tunc futuro, Baſilicas, & Eccleſias antedictas viſitarent, ut præfertur, omnium peccatorum ſuorum pleniſſimam indulgentiam conſequerentur.* His autem, alijſque præmiſſis, Paulus II. Iubileum ad vigeſimum quintum quemque annum contraxit, ut infra: *Nos igitur, qui miſeratione Altiſsimi labentibus annis regimini Catholicæ, & univerſalis Eccleſiæ fuimus Divinâ clementiâ diſponente præfecti, providè conſideratione non immeritò attendentes, humanæ conditionis ſtatum fragilem, ad peccandum proclivem, & ad declinationem uſque adeò celeri curſu properare; breviſsimum quoque vitæ ſpatium, & peccatis noſtris exigentibus, crebras peſtilentias, varios morbos læthiferos &c. Annum trigeſimum tertium hujuſmodi de venerabilium fratrum noſtrorum conſilio, & ipſius poteſtatis plenitudine ad annum vigeſimum quintum reducentes* &c.

Ex his igitur apertè dignoſcitur, quòd ratio brevitatis vitæ humanæ Romanam tum prophanam, tum ſacram Rempublicam ſecularem annum ad minoris temporis ſpatium reſtringere compulerit.

C A-

Digitized by Google

CAPVT VI.

Iubileum unde dicatur, & quæ ſit ejus myſtica ſignificatio?

VT antea affirmavimus, Iubilei anni
in Eccleſiâ Catholicâ inſtitutio-
nem ex Hebræorum quinquage-
ſimo deſumptam fuiſſe: vocem pa-
riter Iubilei a Iobelo antiquæ Le-
gis uſurpatam non ambigimus: Io-
beleum ſcilicet dictum a Iobel,
hoc eſt a cornu arietum; vnde ex *Iosue c. 6. n. 4. & 6.*
Ioſue *tollent ſeptem Iubileorum buccinas*, quarum clan-
gore quinquageſimus annus libertatis, & gaudij indi-
cebatur; utì pariter Iubileus noſter indîci, & evulga-
ri conſuevit feriâ quintâ Aſcenſionis Dominicæ, in
quâ ſolemniter canit Eccleſia cum Davide: *Aſcendens* *Pſalm. 67.*
Chriſtus in altum, captivam duxit captivitatem, dêdit
dona hominibus: concinens verſiculos, *Aſcendit Deus in* *Pſalm. 46.*
jubilatione, & Dominus in voce tubæ: ſeu a jubilatu, quæ
vox prø clamore lætitiam exprimente accepta eſt a
Varrone, & Vallâ: vel a Iobelo, quâ voce per gloſſam *Gloſſ. interlin. c. 5. levit.*
interlinearem, & per Magiſtrum hiſtoriarum remiſſio, *Magiſt. hiſt. in c. 14. Geneſ.*
ſeu initiatio ſignificantur; remiſſio ſcilicèt ex Iſidoro, *Iſidor. lib. 1. Etymolog.*
initiatio ex alijs, quoniam ad initium, & priſtinum ſta-
tum res, ac perſonas Iobelus revocet: ſeu tandem a
radice Iobel, quod eſt adducere, ſeu afferre pariter
cum lætitiâ, & jubilatione. Iobeleus enim Moſaycæ
Legis erat afferens omnia bona temporalia, & redu-
cens unumquemque ad priſtinam libertatem, & hæ-
reditatem, ſecundùm Oleaſtrum, Riberam, & alios *Oleaſt.*
hujuſce profeſſionis auctores; Et quidem Iubileus no- *Riber.*

Cornel. a Lap. Comment. in cap. 25. Leuit. Bellarm. de Indulg. c. 1.

ſter nobis ſecum affert omnia bona ſpiritualia, nempe libertatem a captivitate Diaboli, & retributionem æternæ hæreditatis. Propterea Bellarminus inquit, *Iobel primò ſignificat remiſsionem, ſecundò annum, quo plenaria fiebat ipſa remiſsio, tertiò buccinam, vel potiùs illius clangorem, qui eo anno feſtivè perſonabat*. Vnde Latini docent jubilum, & jubilare gaudium eſſe, quod verbis nequeas, voce confusâ exprimere valeas. Eamdem interpretationem antea amplexus fuerat Divus Thomas, dicens jubilum gaudium eſſe immenſum, & ineffabile, quod nec taceri poteſt, ſed non poteſt exprimi, quia excedit comprehenſionem.

D. Thom. in Pſal. 26.

Ab etymologia verò vocis ad myſticam Iubilei anni ſignificationem gradum faciamus: ab ijs videlicèt auctoribus acceptam, qui de Spiritûs Sancti adventu die quinquageſimâ poſt Paſcha Reſurrectionis differentes, eam a Iobelo antiquæ legis quinquageſimo deducunt ex ſimilitudine beneficij, quod nos ex adventu Spiritûs Sancti ſpiritualiter conſecuti fuimus, ac Hebræi ex Iobelo temporaliter adepti fuerunt. Afferunt ſiquidem, quòd ſicut anno Iobeli quinquageſimo agri a culturâ, & aratro quieſcebant, expletoque eodem annorum numero, ætate provectiores Hebræi quod reliquum vitæ ſupererat, in tranquillitate, velut ſeparati a turbis, & a laboribus hujus ſeculi nequam, non ultrò de neceſſarijs ſoliciti, bonorum omnium auctori Deo gratias acturi, ſe ſuaque omnia illi credebant: ſic expletâ veteris Iobeli figurâ, novam ſpiritualem tranquillitatis formam novi Teſtamenti mediator Chriſtus Dominus adventu ſuo publicavit juxta Iſaiæ vaticinium: ***Miſſus eſt, ut mederetur contritis corde, & annunciaret populis indulgentiam, & prædicaret annum placabilem Domino*.** Explevit verò, ut Prudentius cecinit:

Iſai. cap. 61. num. 1.

Paſcha

Paſcha peracto tempore
Sacro dierum circulo
Quo lege fit remiſſio.

Propterea S. Eligius Noviomenſis Epiſcopus de Aſcenſione agens: *Nec ſine magno myſterio* (inquit) *tantum Sacramentum feriâ quintâ peragitur; à quinque enim quinquagenarius derivatur numerus; nam quinquageſimo die a Paſchate & Lex in monte Synai populo data eſt, & gratia ſancti Spiritûs Diſcipulis in Cœnaculo miſſa eſt. Hoc autem numero perpetuitas futuræ quietis rectè oſtenditur, in quo & Legis Decalogus, & mandata, & Spiritûs ſancti gratia donatur hominibus; ut apertè demonſtretur, quia quicumque divinæ Legis juſſa juvante ſancti Spiritûs auxilio exequuntur, ad veram, perfectamque pacem & quietem tendunt. Quinquageſimus etenim annus in Lege Iobelus, id-eſt dimittens, ſeu mutans, appellari juſſus eſt, in quo populus ab omni operatione quieſceret, omniumque debita levarentur, ſervi liberi redirent, & annus ipſe majoribus ſolemnijs, ac laudibus divinis eminentior cæteris exiſteret.*

S. Eligius Noviomenſis Ep. homil. 10. in Cœna Domini.

Iſidorus Hiſpalenſis ait: *Iubileus interpretatur remiſſionis annus: Eſt enim hebraicus & ſermo, & numerus, qui ſeptenis annorum hebdomadibus, id-eſt quadraginta novem annis texitur, in quo clangebatur tubis, & ad omnes revertebatur antiqua poſſeſſio, debita abſolvebantur, confirmabantur libertates. Hunc numerum etiam in diebus Pentecoſtes & ipſi celebramus poſt Domini Reſurrectionem, remiſſâ culpâ, & totius debiti chyrographo evacuato ab omni nexu liberi ſuſcipientes advenientem in nos gratiam Spiritûs ſancti.* In titulo verò de ſeculis, & ætate hæc ſcribit: *Secula Generationibus conſtant, & inde ſecula, quòd ſe ſequantur, abeuntibus enim alijs alia ſuccedunt. Hinc ideò quinquageſimum annum dicunt, quem Hebræi Iobelum vocant. Ob hanc cauſam & ille*

Iſid. Hiſp. in Orig. lib. 5. de Olimp. Iuſtr. & Iubil.

Id. Iſidor. de ſecul. & ætat. c. 3.

Digitized by Google

Hebræus, qui propter uxorem, & liberos amat Dominum ſuum aure pertuſâ, ſervitio ſubjugatus, ſervire jubetur in ſeculum, hoc eſt uſque ad annum quinquageſimum. Ex quo deducitur, ſecularem annum (ut apud aliquos Au. ctores in uſu fuiſſe conſtat) licèt admodùm impropriè, etiam in quinquageſimo verificari.

Bruno Aſten. to. 2. in Advent. Spirit. Sanc. cap. 13. ſerm. 1.

Bruno Aſtenſis *Sexta*, inquit, *Hebræorum feſtivitas ipſa eſt Iubileus, quæ anno quinquageſimo celeberrima cuſtoditur, ſepties ſeptem annorum curriculis evolutis. Inde autem ſeptima, & æterna feſtivitas in Cœlis expectatur, quæ in iſtis omnibus alijs per tot & tanta ſecula ſignificatur. Conſtat igitur non ſolùm apud nos, verùm etiam apud hujus ſeculi Sapientes, ſeptenarium numerum ſacratiſſimum, & perfectiſſimum eſſe; quoniam & omnia tempora, & omnes numeri in eo continentur. Conſtat enim ex pari, ideſt quatuor, & ex primo impari, ideſt tribus. Omnis autem numerus, aut par eſt, aut impar: Omnis igitur numerus ex ſeptenarij partibus conſtituitur, ac per hoc omnes alij numeri in hoc numero continentur.* Rurſus verò *meritò quidem die quinquageſimo venit Spiritus ſanctus, quia ipſe eſt remiſſio omnium peccatorum: annus enim quinquageſimus, qui hunc idem ſignificabat, Iubileus vocatur, ideſt annus remiſſionis, in quo & ſervis dabatur libertas, & omnis hæreditas ad proprios Dominos revertebatur: quod quidem tunc completum eſt, quando Eccleſiæ Duces in Spiritu ſancto baptizati ab omni vitiorum ſervitute liberati ſunt: Vnde ipſe Dominus ait, quia Ioannes quidem baptizavit aquâ, vos autem baptizabimini Spiritu ſancto non poſt multos hos dies. Niſi enim quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu ſancto non intrabit in Regnum Dei. Hac igitur die & hæreditas, & libertas reddita eſt nobis, quia ille ſine quo, & hæreditas, & libertas haberi non poteſt, datus eſt nobis: hæreditas noſtra Regnum Dei eſt, in quod non intratur niſi per aquam, & Spiritum ſanctum. Hac itaque die*

Idem eodem tom. in Euang. Dominica prima poſt Aſcenſ. Domini.

die Genus humanum vênit ad Iubileum, hac die vênit ad annum libertatis, & remiſſionis; hoc anno cæperunt Apoſtôli clangere tubis, & loqui, & prædicare omnibus linguis: has enim illæ tubæ ſignificabant, quibus tunc incipiente Iubileo, tota illa terra ad feſtivitatem parabatur.

B. Ivo Carnoten. Epiſc. de reb. Eccl. ſerm. in die Sancto Pentecoſtes.

Beatus Ivo Carnotenſis *Sub hac* aſſerit *ſignificatione, antiquus Hebræorum populus anno quinquageſimo, qui Iubileus appellabatur, ab omni opere ſervili vacabat: & ijs, qui annis retroactis ſub ſervitutis jugo ſervierant, libertatem dare conſueverant: Septenarius enim ſepties ductus quadraginta novem facit, & ut quinquagenarius fiat, unitas ſuperadditur in quadraginta novem, quia a ſeptenario non recedit temporum volubilitas, in unitate, quæ ſequitur tempore ſuccedens ſignificatur æternitas; in quâ vera dabitur libertas. Congruè ergo quinquageſimo die Spiritum ſanctum accepimus: quia ſicut poſt hujus temporis decurſum a ſervitute corruptionis hujus (ſecundùm Apoſt. ad Rom. 10.) in libertatem gloriæ filiorum Dei liberandi ſumus, ſic iſto die ipſum Spiritum ſanctum æternæ hæreditatis, & veræ libertatis pignus accepimus*; quemadmodùm pariter anno Iubilei acquirimus.

Alcuin. de divin. officiis de quinquageſimo.

Albinus Flaccus, ſive Alcuinus *In veteri*, inquit, *Teſtamento, quinquageſimus annus Iubileus, & annus remiſſionis vocabatur, in quo videlicèt anno unaquæque poſſeſſio ad proprium revertebatur dominum, & unuſquiſque dominus quocumque modo eſſet ab eâ alienatus, ad propriam gratìs revertebatur poſſeſſionem: & nos qui propriam in primo parente immortalitatis amiſimus hæreditatem, ſi benè, & juſtè in hoc tempore vixerimus, quod ſignificatur per numerum quinquaginta dierum, poſſumus ad noſtram reverti hæreditatem, ideſt ad ſupernam Hieruſalem, & Civitatem Sanctorum, ubi eſt vera reſurrectio, & beata immortalitas, auxiliante Domino noſtro* Iesu *Chriſto, in cujus Reſurrectione, noſtra vera eſt reſurrectio, &*

peccatorum omnium remiſsio, quam etiam nos Iubilei anno conſequimur.

Hæc pauca quidem ex ijs, quæ graviſſimi, & ab antiquitate petiti Auctores de myſticâ Iubilei quinquageſimi Moſaycæ Legis ſignificatione, in unam fermè collimantes ratiocinationis lineam afferunt, lubeat pro legentis ingenio, & pietate ad noſtrum, de quo agimus, Iubileum adjungere.

CAPVT VII.

Iubilei celebritas quo fine in Eccleſiâ Catholicâ inſtituta.

ROMANI olim Imperatores eâ augendæ erga Vrbem Principem Romam exterarum omnium Nationum venerationis cupidine exarſerunt (ut Valerius Maximus teſtatur) quòd cunctarum gentium Idôla Romam advehi curarent, eiſque marmorea, æneaque ſimulacra erigi, Templa extrui, Sacerdotes dicari, ac ludos inſtitui publico edicto præciperent. Adeòque in hanc rem propenſos eoſdem ſeſe oſtendiſſe, tradunt Tertullianus, & Euſebius Cæſarienſis; ut quamvis Chriſtiani nominis infenſiſſimi hoſtes, in Deorum tamen numerum IESVM Chriſtum Dominum noſtrum referendum fore Tiberius Imperator decreviſſet, idque executioni demandaſſet, niſi Senatus inhibuiſſet: immò veriùs niſi Salvator noſter ſocietatem dæmonum, nec-non ſuorum fidelium cum idololatris defugiſſet; *Quæ enim*, Paulus inquit, *participatio juſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci ad tenebras? quæ autem*

Tertullian. in apologet. c.5. Euſeb. Cæſarien. Eccl. hiſt lib. 3.

2. ad Corinth. c. 6. num. 14.

Digitized by Google

tem conventio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fidelium cum infideli? qui autem conſenſus Templo Dei cum Idôlis?

Verùm cùm adveniſſet plenitudo temporis, in quo tandem Vrbs Roma erga verum Deum verâ religione cæteris undequaque præſtaret, & olim *magiſtra erroris*, ſecundùm Leonem Magnum, effecta eſſet *diſcipula veritatis*: proinde ex Hieroſolymis, & ex quâcumque mundi regione jam non Idôla dæmonum ſimulacra, ſed ſacra omnia ad veram religionem tantummodò pertinentia ad ſe afferri curavit; Præſepe ſcilicèt, in quo Chriſtus natus eſt: pannos, quibus involutus: Cunas in quibus jacuit: inconſutilem veſtem, quâ tegebatur: purpuram, quâ paſſionis tempore indutus fuit: Columnam, cui alligatus flagris cæſus eſt: Spineum Diadema, quo coronatus: Clavos, quibus confoſſus: Lanceam, quâ vulneratus: partem Crucis, cui affixus, cum titulo eidem appenſo: Sudarium denique a Veronicâ Chriſto exhibitum, ad cujus cultum Iubilei anno exteri avidiùs confluunt: tot prætereà, ac penè innumera Sanctorum Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, & Virginum ſacra pignora. Congruum igitur erat, ut fideles ad ea religiosè viſenda properarent, ac ſaltem ſemel in vitâ venerarentur ſanctam eorum Matrem Romanam Eccleſiam, omnium Eccleſiarum Dominam, Magiſtram, & Cardinem a Deo conſtitutam (a quâ, ut Anacletus ait, *ſicut cardine oſtium regitur, ita omnes Eccleſiæ reguntur*) nec-non Romanum Antiſtitem, ſuperſtitem in præſenti ſeculo Catholicæ ejuſdem Eccleſiæ ſponſum, ac viſibilem univerſi Gregis Paſtorem, IESV Chriſti Pontificis in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech Vicariam imaginem, ejuſque vivum ſimulacrum. Quem Divus Bernardus meritò appellat *Principem Epiſcoporum, heredem*

S. Leo. ſerm. 1 in natal. Apoſt. Pet. & Paul.

Anaclet.

S. Bernard. de Conſider. ad Eugen. lib. 2.

Digitized by Google

redem Apoſtolorum, Primatu Abel, Gubernatu Noe, Patriarchatu Abraam, Ordine Melchiſedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyſen, Iudicatu Samuelem, unctione Chriſtum, poteſtate Petrum, quem ideò *adhuc in ſuâ Cathedrâ,* nempe in Succeſſore *vivere, & gubernacula Eccleſiæ,* ſcilicèt ſuâ interceſſione, ac potenti ope, *non reliquiſſe* teſtatur Leo Magnus.

S. Leo loc. cit.

Ea igitur mens Romanorum Pontificum fuit in Anni Iubilei celebritate ſtatuendâ, non tam ad revocandum Populum Romanum a ſuperſtitioſis ſecularibus ludis, quàm ut fideles ad B. Petri Apoſtolorum Principis ſacra lipſana, ſeu limina veneranda allicerent. Rem apertè demonſtrant Martinus Polonus, & Theodoricus è Niem, qui poſt Martinum floruit, referentes Anacletum Pontificem (ut habet Pontificale Damaſi a Bellarmino vindicatum) excitatâ in Vaticano Beati ejuſdem Principis Apoſtolorum Memoriâ, ut olim templa vocabantur, ſacram ad ipſa limina peregrinationem inſtituiſſe: ac inſimul perinde-ac jejunium duorum annorum illam apud Deum valere declaraſſe. Vnde colligit Panvinius ducentis annis & ampliùs, antequam nova Baſilica S. Petri a Conſtantino Magno imperiali ſtructurâ excitaretur, fideles ad ſacrum ipſius Beati Apoſtoli pignus in Vaticano colendum a Summis Pontificibus indulgentijs donatos fuiſſe. Immò & magnas illas, & perennes ab ipſis Eccleſiæ incunabulis eamdem Baſilicam viſitantibus conceſſas D. Thomas aſſeruit. Sacram autem B. Petri Memoriam in Vaticano Conſtantini tempora longè præceſſiſſe certo certius eſt, ex graviſſimorum primæ ætatis Eccleſiæ Scriptorum teſtimonio. Euſebius enim Cæſarienſis Cajum virum Eccleſiaſticum cum Zephirino Papâ ad Proculum hæreſis Cathaphrigarum Coriphæum dixiſſe tradit. *Ego habeo trophæa Apoſtolorum,*

Mart. Pol. Theod. è Niem.

Pontif. Damaſ. ad ann. 104.

Bellar. l. 4 de Pontif. Rom. c. 8.

Panuin. de Baſil. Vatic. lib. 5. cap. 16.

S. Thom. in 4 ſent. diſt. 10.

Euſeb. hiſt. lib. 2. c. 25.

quæ

qua oſtendam . Si enim procedas viâ regali (ideſt triumphali) *quæ ad Vaticanum ducit , aut viâ Oſtienſi , invenies trophæa defixa , quibus ex utrâque parte ſtatutis Romana communitur Eccleſia .*

Itaque Cardinalis S. Georgij Stephaneſius meritò ait . *Celeberrima Vaticana Baſilica toto terrarum Orbe ſingulis jam-dudum annis ex peregrinorum oblatis Apoſtolorum Principi extitit .* Et Nicolaus I. Prædeceſſorum veſtigia ſecutus , in Eriath Francum , qui Monachum Presbyterum occiderat , & ad veniam patrati ſceleris impetrandam , ad Baſilicam B. Petri indulgentiarum ſuffragia conſecuturus properaverat, ob ejus fidei devotionem erga Apoſtolorum Principis lipſana , ſequidem humaniùs geſturum ultrò obtulit .

Card. S. Georg. de Centeſ.

Sirmond. Fragm. 7.

Lêgimus autem, nonnullos, qui id ſtudij habuerunt, ut Sanctorum limina Apoſtolorũ frequenter adirent , illorumque interceſſionem apud eorum ſacra pignora quærerent, non modò a Sanctis Viris laudatos, immò ut ab eâ intentione non deſinerent , divinitus admonitos eſſe . Exemplum affert D. Gregorius , narrans , quemdam virum, inter cætera bonorum actuum exercitia , ſingulis annis Apoſtolorum corpora veneraturum Romam adire aſſuctum , fuiſſe admonitum , ut opus , quod agebat proſequeretur , laborum itineris mercedem conſecuturus .

S Greg. in lib. Dialog.

Idem ſpondet D. Auguſtinus ijs qui ad implorandam ejuſdem Apoſtoli opem ad eorum ſacro-ſancta pignora contendunt : ita enim aſſerit , *Corpus Beati Petri, quo tanquam organo , & vaſe ad omnia opera ſpiritus uſus eſt, habitaculum Dei extitit, & veſtigia Dominicæ ejus paſsionis per ſeipſum experiendo conſummavit , majori merito, ac potentiori auctoritate ad propellenda noxia, & ad profutura impetranda donatum fuit .* apertiùs autem S. Gregorius inquiens: *Ubi in ſuo corpore Petrus*

S. Aug. de Civit. Dei c. 13. & 22.

jacet

jacet, multa valet ſigna oſtendere, & innumera miracula perpetrare: Si enim adhuc in ſuo corpore conſtitutus ac de ſe ſolicitus pro nobis oravit, quantò magis poſt coronam, victoriam, ac triumphum id-ipſum nobis præſtabit?

Et porrò ſi locus retinens Arcam inſenſibili ligno compactam, eò quòd contineret Vrnam mannâ plenam, Virgam unam, tabulaſque lapideas, intus & foris auro exornari, tantâque populi frequentiâ meruit honorari; meritiſſimò locus ille religioſo cultu perluſtrandus eſt, qui complectitur ſacras Apoſtolorum exuvias: tanquam cæleſtis Theſauri Arca, corporibus quidem & animorum virtute conſpicua, intus regens animarum ſplendida Vaſa, ſapientiæ dulcedine referta, legemque ſpiritalem, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus exaratam. Vbi cum Apoſtolicæ juriſdictionis ac Paſtoralis auctoritatis Virgâ, ipſius Petri Cathedra cuſtoditur: in quâ idem sêdit, ac ſedet adhuc in ſuis Succeſſoribus vivens.

ad Hebr. c. 9.

2. ad Corinth. c. 3. n. 4.

Ac ſanè nihil aptius ad demonſtrandam, vel efficacius ad conſervandam fidei unitatem Romani Pontifices cogitare potuiſſent, quàm ut loco diſſitæ, linguis variæ, moribus diverſæ, quinimò opinione, mente, & legibus non ſemel contrariæ gentes, unâ in Vrbe, uno in loco ad Vaticanam Petri Cathedram, ſaltem ſemel in vitâ convenirent, & collecti ex omnibus terræ partibus populi venerabundi Apoſtolorum ſacra limina, & primariam ſedem, fideique petram, & ſolidiſſimum fundamentum Eccleſiæ Catholicæ viſitarent; ibi *profeſſuri*, cum Cypriano *ſe Catholicæ ejuſdem Eccleſiæ filios matrem agnoſcere Romanam Sedem, ac tenêre*; cum Satyro S. Ambroſij fratre, *Romanæ Eccleſiæ typum, & formam ſequi*; cum Hieronymo, *ad Cathedram Beati Petri, & fidem Apoſtolico ore laudatam conſulere, atque inde animabus ſuis cibum poſtulare*; cum Petro Chryſologo,

S. Cyprian. epiſt. 15.

S. Ambroſ. Serm. in obitu fratris & in lib. de Sacrament. c. 3.

ijs, quæ a beatiſſimo Papâ Romanæ Civitatis præſcripta ſunt, ſeſe obedientes oſtendere ac demum cum Concilio Florentino fateri *ſanctam Romanam, & Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem Beati Petri Principis Apoſtolorum ſucceſſorem, verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum Parentem, ac Doctorem exiſtere, eique in Beato Petro paſcendi, regendi, & gubernandi univerſalem Eccleſiam a Domino noſtro* IESV *Chriſto poteſtatem omnimodam ligandi, atque ſolvendi cum ſuis indulgentijs, traditam eſſe.* S.Petr. Chryſolog. epiſt. ad Eutychetem. Concil. Florent.

Nec veró exiſtimandum eſt abſimilis intentionis fuiſſe Romanos Pontifices, cùm alios quoſcumque Præſules in partem ſolicitudinis aſſumptos ad Apoſtolorum limina viſitanda coegerint, ac in primis Anacletum, ſi Gratiano ſubſcribere velimus, ſeu veriùs Zachariam in Synodo Romanâ his verbis: *Iuxta Sanctorum Patrum, & Canonum inſtituta, omnes Epiſcopi, qui hujus Apoſtolicæ Sedis ordinationi ſubjacent, & qui propinqui ſunt, annuè circa Idus Maij Sanctorum Principum Petri, & Pauli liminibus præſententur: qui autem hujuſmodi Conſtitutionis contemptor extiterit, præterquam ſi ægritudine fuerit detentus, ſciat ſe canonicis ſubjacere ſententijs.* Vnde in formulâ juramenti ab Electis Epiſcopis præſtandi, adjecta eſt particula de hujuſmodi viſitatione triennio, quinquennio, ſeu etiam decennio, pro majori vel minori Eccleſiarum diſtantiâ a Præſulibus obeundâ. Gratian. diſt. 93. Synod. Roman. c. 4.

Ex his quidem elici poteſt, hanc omnino fuiſſe Romanorum Pontificum mentem in ſtatuendâ Anni Sancti celebritate, utì clarè demonſtrat Ioannes Mariana inquiens, *Annum ſecularem Bonifacius Romanus Pontifex clauſit ex Romanæ Vrbis, judaicique populi inſtitutis, lege temperatâ, latâque in perpetuum, ut centeſimo quoquo anno veniâ peccatorum donarentur, quicun-* Io: Marian. hiſt. de reb. Hiſpan. l. 15. c. 3.

que Romana Templa venerabundi inviſerent, plena religione, vetuſtate ſancta. Ad Romanæ majeſtatis revocandæ, religioniſque amplificandæ cultum id inſtitutum pertinebat. Hujus autem rei veritas apertiùs evincitur ex prædicto Diplomate Bonifacij VIII. ac ex hiſtoriâ Cardinalis Iacobi Stephaneſij, ubi hæc habentur: *Diffinienſque decrevit Præſul, cujus ea mens eſt, Baſilicæ ipſi Principis Apoſtolorum Dei, ipsâ tantùm famâ crebreſcente, tametſi incertum centeſimum indultum, illibatumque ſubſiſtere.*

Bonif. VIII. Conſt. Antiquorum. Card. S. Georgij Stephaneſ de Centeſ. an. verſ. Igitur.

Addit præterea dictus Suareſius a Polydoro Virgilio id-ipſum affirmari, cùm dicat: *Bonifacius VIII. ad hæc ſacra loca viſenda piorum maximè incitavit ſtudium, qui primus omnium Iubileum retulit, anno qui fuit trecenteſimus ſuper milleſimum ſalutis humanæ, quo pœnarum remiſsionem ijs præſtabat, qui limina Apoſtolorum viſitaſſent ad exemplum veteris Legis.* Acceptum tamen aliud ſuper-allatum motivum inſtituendæ Anni Sancti celebritatis adjungens, nempe ad revocandos hominum animos a ſuperſtitione ſecularium ludorum. Polydodori verba ſunt: *Idem autem Bonifacius Pontifex Iubileum centeſimo quoquo anno ſervari mandavit, quod feciſſe videtur, ut populum cum primis Romanum ab inani ſecularium ludorum celebratione ad verum ſolemne ſacrum reduceret.* Ex quibus dilucidè appâret Polydorum ſuo ſtylo ſeſe mendacio convinci, cùm affirmet Bonifacium VIII. Iubilei celebritatis Auctorem, ut populum Romanum ab inani ſecularium ludorum celebratione revocaret. Nam ſi Gentilitatis ejuſmodi ſuperſtitio jam a tertio ſeculo poſt Chriſtum natum, ſi Philippi ludos inter ſeculares referre placeat, vel ab Anno cccc. Honorio Imperatore omnino deſierat; vel centeſimi Iubilei inſtitutio anteactis ſeculis, quo tempore ludi ſeculares vigebant, ut prætulimus, tribuen-

Suareſ. Ep. Vaſionen. in vindic. Silueſtr. II cap. 2. verſ hoc anno circa fin.

buenda eſt, & Bonifacius VIII. non inſtitutor, ſed inſtaurator centeſimi aſſerendus videtur: vel aſſertum motivum abolendæ Gentilium celebritatis omnino evaneſcit. Itaque manet proximè adducta ſententia, quód centeſimi inſtitutio Bonifacium VIII. longè præceſſerit, atque a quinquageſimo ad centeſimum ejuſmodi celebritatem protractam olim fuiſſe, peculiari Sanctorum Patrum ſtudio ab ipſis naſcentis Eccleſiæ primordijs ab Apoſtolis derivato: ad avertendos nempe Chriſti-fideles a Iudaicis celebritatibus, ac cæremonijs frequentandis. Quamobrem Sanctus Paulus Antiochiæ *in faciem Petro reſtitit*, quòd ſe ſubtraheret a converſatione Gentilium, *timens eos, qui ex circumciſione erant; quaſi cogeret gentes judaizare.* (Ad Galat. c. 2. n.11.)

Præterea ex eodem inſtruimur, conveniſſe Hieroſolymis, ac inſurrexiſſe Apoſtolos, & ſeniores contra Phariſæorum hæreſim, Legem Moyſis ſervari præcipientem: & inſuper nullatenus obſervandos eſſe dies, menſes, & annos Iudæorum, cùm ad Coloſſenſes ſcribit; Vmbram fuiſſe obſervationes antiquæ Legis, *Nemo vos judicet in cibo, aut potu, aut in parte diei feſti, aut neomeniæ, aut Sabbatorum, quæ ſunt umbra futurorum*, & ad Hebræos: *traslato ſacerdotio neceſſe & ut Legis translatio fieret*: Igitur nec Apoſtoli, nec Evangelia accedentibus ad Chriſti fidem jugum ſervitutis Moſayeæ impoſuerunt: ſed feſtivitatem Paſchatis, & alias celebritates honorandas eſſe tantummodò docuerunt: utì idem Apoſtolus confirmat, inquiens: *dicite mihi qui ſub Lege vultis eſſe, Legem non legiſtis?* hinc ſervum oſtendens populum Iudæorum, & in libertatem vocatos, qui accedunt ad Chriſtum. Verum-tamen quia in Paſchæ celebratione ex Iudæis ad Chriſti fidem converſi, non adeò omnes ab antiquis traditionibus cor averterant, quin aliqui Iudaiſmi ſuſpicione labo-

(Act. c.15. n.6) (Ad Coloſſen. c.2. n.16.) (ad Hebr. c.7. num.12.) (ad Galat. c.4 num.21.)

Can. Apoſt. 8. rarent; propterea Canon Apoſtolicus prodijt, quo ſi quis Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus ſanctum Paſchæ diem ante vernale æquinoctium cum Iudæis celebraret, is abijciendus declaratur.

Ne autem quo die celebrandum a quoquam dubitari contingeret, ab Eccleſiâ majori minoribus cum diem præſcribendum eſſe decrevit Concilium Carthaginenſe III. his verbis: *Omnes Africanæ Provinciæ Epiſcopi obſervationem paſchalem ab Eccleſiâ Carthaginenſi accipere curent: Metropolitanus verò, ſive Primas ad omnes Epiſcopos literas dirigat de die, quo feſtum Paſchæ celebrandum ſit.* Id-ipſum in primo Arelatenſi Cõcilio, nec-non Braccarenſi II. & Carthaginenſi V. ſancitum fuit; nempe ut dies venerabilis Paſchæ formatarum literarum ſubſcriptione omnibus intimaretur. Licèt enim antea præceſſiſſet Pij Papæ I. Decretalis quâ ad univerſos Chriſti-fideles ſcripſerat, ijs temporibus Hermeti Doctori fidei, & ſcripturarum ſplendore effulgenti (quem conſtat aliâ ejuſdem Pij Epiſtolâ fuiſſe Presbyterum) Angelum Domini in habitu Paſtoris apparuiſſe, ac dixiſſe, ut Paſcha die Dominico poſt vernale æquinoctium celebraretur: & acceſſiſſet Victoris Papæ Epiſtola ad Theophilum Alexandriæ Epiſcopum, quâ identidem celebritatem Paſchæ die Dominico agi debere, & Prædeceſſores ſuos ſtatuiſſe, ſeque celebrare ſolitum affirmabat; adhuc tamen non deerant, qui dubitarent, an Sedes Apoſtolica celebrare feſtum Paſchę die Dominico poſt æquinoctium vernale ritè præcepiſſet.

Concil. Carthag. III. c. I. & 41.

Concil. I. Arelaten. cap. 1. Braccaren. II. c. 9. & Carth. V. c. 7.

Pij Papæ I. Decretal. in to. 1. Concil. impreſ.

Pij Papæ I. Decretal. ad Iuſtum Viennenſem tom. 1. Concil. impreſſa.

Victor. Papa I. epiſt. ad Theophil.

Aſſignat verò Binius rationem, cur die tantùm Dominico poſt vernale æquinoctium occurrente, Paſcha Dominicum celebrandum ſit: ne ſcilicèt Chriſtianorum, & Iudæorum Paſchalia feſta unquam ſimul inciderent: ideòque ſubdit, Pium Pontificem eamdem

Bin. in not. ad Concil. not ad epiſt. Pij Papa I.

tra-

Digitized by Google

traditionem Apoſtolicam quamquàm Iudaizantium conſuetudine violatam, edito ſcripto, & renovato dumtaxat Decreto confirmaſse. Eamdem porrò conſuetudinem celebrandi Paſcha die Dominico poſt vernale æquinoctium recurrente, tradit Euſebius Cæſarienſis juxta Sanctiones Nicenæ Synodi, & Concilij Romani ſub præfato Pontifice Victore, qui Concilium Ponticum, Gallicum, Oſroënum, & Aſianum ſecus faciens reprobaverat; quòd ea Concilia auctore Polycrate Epheſino Epiſcopo a conſuetudine legitimâ celebrandi Paſcha ad judaicum morem deflexerant.

Euſeb. Cæſa-ſarien. ad an. 198. hiſt. Eccl. c. 23. & ſeqq.

Quare S. Athanaſius: *Nicena* (inquit) *Synodus non temerè habita eſt, ut quæ habeat graviſsimos uſus, & legitimam rationem. Syri, Cilices, Meſopotami jam in feſti causâ claudicabant, atque unâ-cum Iudæis Paſcha celebrabant quartâ decimâ Lunâ menſis Martij, in quem diem incidiſſet*. Et Conſtantinus Auguſtus Epiſtolâ ſuâ ad omnes Eccleſias, quam refert Theodoretus, ſic ait: *Ibi etiam quæſtione motâ de ſanctiſsimo Paſchatis die unanimi ſententiâ decrevêre, rectum eſſe ubique gentium illud eodem die celebrari: quid enim a nobis honeſtius, quid gravius fieri poteſt, quàm iſtam feſtivitatem, unde ſpem habemus immortalitatis eodem ordine, & manifeſtâ ratione obſervare infallibiliter univerſos. Ac primùm quidem indignum viſum eſſe peragere ſanctiſsimam illam feſtivitatem conſuetudinis judaicæ imitatione, qui ipſi nefariè manibus proprijs excæcant animos ſuos. Poſſumus enim Iudæorum rejectâ gente, veriore ordine, qui a tempore Paſſionis, & die eſt hucuſque ſervatus, Completorium obſervationis hujus etiam ad futura ſecula tranſmittere: Proinde nobis cum inimiciſsimâ turbâ Iudæorum commune eſſe nihil debet, qui a Salvatore in aliam ſumus viam inducti*. Et poſt pauca: *Sed his etiam demptis, par erat, pruden-*

S. Athanaſ. Epiſt. de Synod. Ariminen. & de Conc. Seleucien.

Theodoret. Eccl. hiſt. lib. 1. c. 10.

dentiam veſtram ſummo ſtudio,& ardentiſsimis votis aniti, ne quam ſimilitudinem puritas animi veſtri referret rituum hominum peſsimorum. Nec ſecus legitur in hiſtoriâ tripartitâ, ubi Conſtantinum in Alexandrum,& Arrium invectum fuiſſe fertur, *judaicè feſtivitatem Dominicam celebrantes, & ſplendorem Collectæ tali diſcretione fœdantes: quòd recta ratio videretur exigere, nullam cum Iudæorum perjurio habere communionem*.

Hiſt. tripart. lib. 1. cap. 20.

Hiſt. tripart. lib. 9. cap. 38.

Supereſt itaque unicus finis in Anni Sancti celebritate ſtatuendâ; utpote ad limina Sanctorum Apoſtolorum, ac in primis ad Baſilicam Vaticanam cum ſpiritali animorum utilitate fideles accerſendi, quem ſupra probavimus.

CAPVT VIII.

Cur Romanus Pontifex Baſilicæ Vaticanæ Portam Sanctam aperiat, & claudat?

OPTIMO quidem jure ibi Romanus Pontifex theſauri Eccleſiæ Portam Chriſti-fidelibus patefacit,& claudit,ubi univerſalis Paſtoris,& Eccleſię ipſius OEconomi jure ex legitimâ Principis Apoſtolorum ſucceſſione, ob conſummatum ibidem ejuſdem martyrium juſſu Domini, verbis illis: *Vado Romam iterum crucifigi*, obtinuiſſe noſcitur. Vt diſertè teſtantur Irenæus,& Divus Auguſtinus: *Maximam & auguſtiſsimam* aſſerentes, *ac omnibus cognitam è glorioſiſsimis Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundatam Eccleſiam,ac univerſalem mox effectam ipſius Petri martyrio in Vaticano*, quam proinde Rupertus Abbas Tuitenſis, Iesv *Chriſti vehiculum,& habita-*

Irenæus Mart lib. 3. c. 3. S. Auguſtin. epiſt. 162. contra Donatiſtas.

Digitized by Google

bitaculum, *currum*, *atque thronum a Petro conſtitutum* eleganter affirmat; eamque Eccleſiæ traditionem habere, & annunciatam hominibus fidem, & in eâ ſemper viguiſse Apoſtolicæ Cathedræ Principatum, ſubnectit Auguſtinus. Tradit verò Nicolaus I. Innocentium I. Prædeceſsorem ſuum de eâ ſcripſiſse, quòd *Beatiſsimus Petrus fecerat præſentiâ corporali, & Eccleſiam Antiochenam jam ſuam, quæ temporis prioritate Vrbis Romæ Sedi non cederet, niſi quem illa in tranſitu meruit, iſta ſuſceptum quippe Beatum Petrum apud ſe conſummatum gauderet*.

Rupert. Abb. Tuiten de Diuin. offic. lib. 3 c. 2.

Nicol. I epiſt. ad Michaelē incip. Propoſueramus.

Petrus enim Romam in carne veniens, in eâ vitæ verbum evangelizavit, & inde amotâ erroris caligine, veritatis lumine mentes hominum illuſtravit; ut alibi fecerat tum in Oriente, tum in Occidente ab eo fundatis Eccleſijs; particulari mox in illis conſtituto Paſtore, & pariter Romæ adhuc ibi ſubeundæ mortis neſcius, Clementem Epiſcopum ordinaverat. Verùm, ut Etherius, & Beatus ad Elipandum Toletanum Antiſtitem luculenter ſcripſerunt: *Vbi Apoſtolorum Coriphæus ad Portam Vrbis vênit, vidit Chriſtum ſibi occurrentem, & eum adorans dixit: Domine quò uenis? reſpondit ei Chriſtus: Iterum venio crucifigi. Intelligens de ſuâ compaſsione dictum, quòd in eâ Chriſtus paſſurus videretur* (qui patitur pro ſingulis, & in omnibus membris ſuis) *in Civitatem redijt, comprehenſuſque a perſecutoribus Cruci affixus martyrium conſummavit*.

Etherius, & Beatus lib. 1. Elipandum.

Ac ita particulari jam Romanæ Eccleſiæ curæ univerſalis omnium Eccleſiarum ſolicitudo indiſsolubiliter in Vaticano unita fuit. Quamobrem jam non Clemens ſibi Succeſsor electus ab ipſomet Principe Apoſtolorum in curâ mox particulari futurâ ab eo creditâ, quatenus Româ ut meditabatur diſceſſiſset, & alibi obijſset, ſed Linus, & Cletus ei ſucceſſerunt.

Ac-

Accedente mox Cleri ſuffragio Clemens ſuffectus eſt Epiſcopus Romanæ, ac univerſalis Eccleſiæ, quam Petrus ſuo cruore irroraverat, & non habentem maculam, aut nęvum Deo dicaverat: ac prę cæteris majus illi contulit privilegium, quo totum Orbem ſplendore fulgoris ſui mirabiliter colluſtraret, & Occidens tanto nitore rutilans in Orientem ipſum veritatis lucem miro, ac inuſitato ordine diffunderet; quod optimè intelligens Ioannes XIX. *in præfatâ* (inquit) *Eccleſiâ S. Petri, a quâ omnes Eccleſiæ doctrinam acceperunt ſicuti Magiſtra, & Domina*. Oportebat ſiquidem, ut Sanctus Leo ait, *ut Beatiſſimus Petrus Princeps Apoſtolici Ordinis ad Arcem Romani deſtinaretur Imperij, ut lux veritatis, quæ in omnium gentium revelabatur ſalutem, efficaciùs ſe ab ipſo capite per totum Mundi corpus effunderet*: atque ex ſententiâ S. Maximi *Vt ubi Mundus Caput habebat Imperij, ibi Regni Chriſti Princeps collocaretur*: & ſecundùm Sanctum Proſperum: *Vt quæ olim fruebatur Mundi principatu, caput Mundi exhiberet, paſtoralis honoris Præſulatu*. Idcirco Iulius Papa ad Orientales Epiſcopos ſcribens: *Optimo jure* (ait) *ſicut Beatus Petrus Apoſtolus primus fuit omnium Apoſtolorum, ita & hæc Eccleſia ipſius nomini conſecrata, Domino inſtituente prima, & caput ſit cæterarum, & ad eam quaſi ad matrem, atque apicem omnes majores Eccleſiæ, cauſæ, & judicia Epiſcoporum recurrant*; ibi quidem præcipuè fundata, ut Anacletus inquit, *ubi illam Beatiſſimus Petrus ſuo martyrio conſecravit*.

Ioann. XIX. Epiſc. ad Petr. Epiſc. Sylnæ candidæ.

S. Leo serm. 1 ad natal. SS. Apoſt.

S. Maxim. ſerm. in Natal. Apoſt.

S. Proſper lib. de ingratit.

S. Anaclet.

Meritò igitur ex Vaticanâ Baſilicâ tanquam ex Romanæ Eccleſiæ indulgentiarum Gazophilacio earumdem gemmæ hauſtæ, in alias tum etiam Vrbis Baſilicas, & Eccleſias olim translatæ ſunt; ut liquet ex ijs, quæ Panvinius ex Petro Manlio accepta refert, nempe de Cruce ſtationali Baſilicæ Vaticanæ, quæ ab ipsâ

Manl. de Baſ. S. Petr. c. ult.

olim

olim Baſilicâ ad Eccleſias ſtationales delata in ſingulis ejuſmodi Eccleſijs per integram ſtationis diem in Arâ maximâ exponebatur. Ritus hujus reliquias retinet acceſſus Summi Pontificis a Vaticano ad Eccleſiam S.Sabinæ feriâ quartâ Cinerum) *Non parum* (inquit Panvinius) *honoris, & prærogativæ Baſilicæ Vaticanæ habitum eſt, quòd ex inſtitutione Sanctorum Patrum ſumebatur de Sanctiſſimo Altari Beati Petri Crux Dominica, quæ præcedebat populum pœnitentem per totam Quadrageſimam ad Stationes euntem; quæ nimirum Crux ſtationalis ob Chriſti, & ejus Apoſtoli reverentiam in tantâ veneratione a cunctis eſt habita, ut ſicut Cantores, & Regionarij aſſerunt, ſi fortè eam non deferri interdum contigiſſet, immunes a Statione ſæpè recedebant, exiſtimantes ſine illâ nullas a Deo fore Stationes, nempe indulgentias ſeſe accepturos: Quamobrem Divus Gregorius ordinavit, per totam Quadrageſimam, Cruce ipsâ ſtationali præcedente, per Primicerium, Cantores, & Acolythos cum pœnitentibus ſtationes eſſe celebrandas.*

Panuin. in tract. de Baſil. Vatic. lib. 5. c. 13.

Hinc eſt quòd Romanus Pontifex Portam auream Vaticanam utpote Eccleſiæ theſauri (juxta Apocalypſis vaticinium) *aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit*; itaut ejus apertio, & obſtructio Anno Iubilei fieri ſolitæ ad ſolum Summum Pontificem pertinere videantur. Tanta verò ejus Portæ ſuſpiciendæ, ac colendæ religio animos fidelium cæpit, ut cùm illam occaſione amplificandę Baſilicæ S.Petri Paulus V. loco movêre, & ad nouam Porticum traducere pro juſtâ Eccleſię amplitudine ſtatuiſſet, non eam dirui, & particulatim cædi, ac dividi paſſus eſt, ſed ut erat, integram ſuis & lapidibus, & aſſeribus conſtantem, ſibique cohærentem transferri juſſerit, ſervatâ Sanctæ ejus Portæ majeſtate, quemadmodùm teſtatur Pancirolus. In alijs verò Baſilicis, ac in primis in Baſilicâ

Apocalipſ. c. 3. n. 7.

Pancirol. pag. 15. ad ann. 1609.

S.Pauli, & in venerandâ Eccleſiâ Lateranenſi nunquam ſatìs pro ſuâ inſigni dignitate laudatâ, nec-non in Eccleſiâ S. Mariæ Majoris, Pontifex id-ipſum expleri jubeat per Legatos ſuos, a quibus ſpirituales indulgentiarum divitias ex Baſilicâ ipſâ Vaticanâ ad eas ablegatas afferri curet. Solam etenim Sacro-ſanctam Principis Apoſtolorum Baſilicam ad lucrifacienda indulgentiarum theſauri levamina olim adiri, & coli conſueviſſe, evincit exordium Extravagantis Bonifacij. Optimo quidem jure, cùm ibi Eccleſiæ theſauri divitias Romanum Pontificem fidelibus impartiri debere congruum videatur, ubi nuſquam alibi Sanctorum meritis auctus magis appâret indulgentiarum acervus.

Neque enim in toto terrarum Orbe locus ullus procul-dubio potuit inveniri Vaticano ſolo æquè ferax, quod Petri Apoſtolorum Principis cruore irrigatum, Chriſti Martyres,ac è ſuis Succeſſoribus plurimos copioſiùs ediderit:adeòut inde palmarũ ſeges fœcundiùs germinaverit, & uberior Athletarum Chriſti ſaguinis unda beatiùs eruperit. Nemo igitur qui rationes haſce expenderit hæſitet, quin Romanum Pontificem deceat Iubilei theſaurum, ejuſque Portam Romæ, & in Baſilicâ Vaticanâ Chriſti-fidelibus aperire. Etenim nuſquam ęquè-ac in Vaticano colle ſæviores Tyranni, infenſiores chriſtiani nominis hoſtes Nerones, Domitiani, Trajani, Adriani, Antonini, Marci Antonij, Veri, Commodi, Severi, Maximini, Decij, Valeriani, Aureliani, Diocletiani, Maximiani, alijque hujus feritatis Romani Imperatores detectos Chriſtianæ fidei profeſſores immaniùs, niſi Idôlis immolarent, mortem ſubire compulerunt. Ibi opprobrijs, ludibrijs,& exquiſitis magis cruciatibus tentatos,truculentiori tandem mortis genere affecerunt, adeòut

via

via olim ad Vaticanum ducens, triumphalis nuncupata (nunc vulgò *Burgum vetus*) deinde via Martyrum, vel ſacra vocaretur. In eâ autem veneratione uſque ad tempora ſa: me: Gregorij XIII. habita fuit, quòd illa veſtigijs Martyrum impreſſa, eorumque ſanguine conſperſa eſset, ut tranſitus illâc brutis animalibus eſſet occluſus; adeò religioſè columnis cincta, & catenis munita cuſtodiebatur. In Vaticano ſiquidem Circo, teſtibus Plinio, Tranquillo, & Cornelio Tacito, Nero Chriſtianorum ſæviſſimam lanienam, ſeu ab Hortis eidem Circo contiguis ſpectabat. Illud cum Ædiculâ olim Apollini ſacrâ, vel Palatio, quod Damaſus, & Bibliothecarius haud dubiè pro Circo uſurparunt (cùm huic multa cubicula, & conclavia in angulis ineſſent) Conſtantinus Imperator, ſuſcepto Baptiſmate demoliri juſſit, ut locum Sepulchri Principis Apoſtolorum in medio excitandę Baſilicæ comprehenderet: nempe ubi olim extabat, hodieque perſeverat multifariam appellatum Sepulcrum, Cœmeterium, Confeſſio, Oratorium, vel Memoria S. Petri.

Smetius Lipſius Panuin. Alexan. Donat. Rom. vet. & rec. l. 1. c. 11.

Plin. lib 36. cap. 11. Tranquill. in Claudio cap. 21. Tacit. in Auguſt. hiſt. lib. 15.

Quòd autem ſacratiſſimus hic locus ante Conſtantini converſionem, & B. Silveſtri Præſulatum in toto terrarum Orbe ſplendore nominis, ac venerationis cultu, aſſiduo concurſu, & frequenti peregrinatione à primis jam uſque temporibus potitus fuerit, ex ſupra relatis probavimus, & ſequentibus dilucidiùs confirmamus.

Cletus epiſtolâ ad omnes populos *approbat, & commendat peregrinationes ad Sanctos, & maxime ad limina S. Petri*. Ad ea novis conſtructionibus a ſe aucta, & ornata Anacletus *juxta Sanctorum Patrum, & Sacrorum Canonum inſtituta, Epiſcopos omnes ſtatuto tempore venire coëgerat*. Vnde S. Gregorius ad Anaſtaſium Epiſcopum Antiochenum ita ſcripſit: *a Sereniſſimis Dominis*

an. Dom. 80. Martin. Pœnitentiar. Landulph. in Gleto.

ann. 103. Damaſ. & Anaſtaſ Bibliot. in Anacl. Grat. diſt. 93.

[*S.Greg. lib.1. epiſt.7.*] *quantis valui precibus poſtulavi, ut eos honore reſtituto ad Sancti Petri Apoſtolorum Principis limina venire* &c. Ex quibus colligitur jam antea injunctum fuiſſe Epiſcopis, ut juxta priſcam conſuetudinem, ad limina Apoſtolorum ſe conferrent; clariùs tamen patet ex ijs, quæ [*Idem lib. 6. epiſt.19.*] in epiſtolâ ad Cyprianum Diaconum exaravit. Ita enim inquit: *Novit dilectio tua, hanc olim conſuetudinem tenuiſſe, ut fratres, & Coëpiſcopi Romam ſemel in triennio de Siciliâ convenirent: ſed nos eorum labore conſulente conſtituiſſe, ut ſuam hìc ſemel in quinquennio præſentiam exhiberent. Et quia jam diù eſt, quòd huc minimè convenerunt, eos hortari te volumus, ut Natalem S. Petri hìc Deo perducente nobiſcum debeant celebrare.* Protonota- [*ann.121. Acta.S.Alexan.*] rius S.R.E. in vitâ S. Hermetis Alexandro I. Pontifice de Nutrice filij vitâ functi hæc diſſerit: *Increpare me cæpit Nutrix dicens ſi eum ad limina S.Petri duxiſſes, & Chriſtum credidiſſes, filium tuum haberes incolumem* (tanta erat in priſcis fidelibus erga B.Petri limina religio, tanta in Principis Apoſtolorum ope fiducia) & Pyrrhum Patriarcham Conſtantinopolitanum *ex Africâ in* [*ann.142. Act.S.Teleſph.*] *Vrbem Romam ad limina Sancti Petri, ſedente Teleſphoro, veniſſe* narrat.

Cajus antiquiſſimus inter Eccleſiæ Scriptores, ſe- [*ann.201. Euſeb.Cæſar. l.2.c.24.*] dente Zephirino glorioſa *Apoſtolorum Sepulcra*, ut ſupra commemoravimus nobiliori titulo *Trophæa* nuncupavit. S.Cyprianus ad Cornelium Pontificem, & [*ann.254. S.Cypr. l.1. epiſt. 3. Act. eorumd.Mart*] Protonotarius ita ſcriptis commendarunt: *Venerunt de Perſide Marius, Martha, Audifax, & Abbacum Viri Chriſtianiſſimi ad Orationem Apoſtolorum*, quos ad Confeſſionem B.Petri confoſſos ſupra retulimus. Demum [*ann.325. Act.S.Silveſtr.*] Conſtantinum Magnum Imperatorem a S. Silveſtro *ad Confeſſionem B.Petri Apoſtoli adductum* fuiſse Acta ejuſdem Pontificis pervolventibus innoteſcit.

Quod verò ſpectat ad praxim ejuſce debiti in Baſilicam

licam Principis Apoſtolorum cultûs a fidelibus olim præſtiti, Cardinalis Iacobus de Stephaneſijs ita aſſerit; *A primâ die Ianuarij, proclivo in Veſperam Sole quoad media ferè noctis intempeſtæ ſilentium, parumque eo Romanis patefacto frequentes ipſi ad ſacram B. Petri Baſilicam properant; oppreſsi Altaria ſtipant, alternatimque ſe (ut vix accedere fas eſſet) impediunt, tanquam eâ brevi finienda die: expiare gratiam, vel majorem autumarent. Acceſſerint ne moti, cùm aliqualis matutinus de centeſimo, ſeu Iubileo in Baſilicâ factus cieret ſermo; ſponte ne ſuâ jam (quod credulitati magis proximum eſt) cæleſti tracti nutu, qui centeſimi tranſacta memoraret, vel adventura.* Subditque poſt multa: *Publicandi aderat tempus Cathedræ B. Petri celebritas offerendum Principi in ſuo, quàm alibi honeſtiùs Templo; donec publicatur, ſericis, aureiſque ambone circum-fultâ, quò Romanus Præſul, Patreſque conſcenderant, orationeque factâ ad turbam grande lætitiæ munus literæ ſeriæ appenſis Bullis differuntur, quæ etſi Laterani priùs datæ continerentur, illic tamen eas datas apud S. Petrum ſuis juſſit Præſul literis aſcribi, Altarique impoſitum donum* &c. *Iacob. Card. S. Georg. de ann. centeſ. c. 1.* *Id. Card. Stephaneſ. c. 3.*

Rem ipſam luculentiùs Silveſter Bonifacij VIII. a ſecretis declarat: *Ad honorem,* inquiens, *Dei, & reverentiam Apoſtolorum Principis S. Petri, a quo cuncti Succeſſores Summi Pontifices coronam obtinent Præſulatûs, dicuntur in ejuſdem anni Iubilei figuram, in honorabili Baſilicâ S. Petri de Vrbe anno centeſimo quolibet a Nativitatis Domini tempore in ſignum clavium, & ſalutis eorum, qui præfatæ Baſilicæ limina viſitarent, multas, & magnas remiſsiones, & amplas peccatorum indulgentias veriſimiliter conceſsiſſe.* *Silveſter Bonif. VIII. à ſecret. lit. ad Eccleſ. Amalphitan.*

Porrò nec aliud innuere videntur reliquæ ſubſequentes Conſtitutiones indictionis Anni Iubilei; cùm Baſilicam Vaticanam ſi non ſolam, ſaltem in primis

viſi-

viſitandam deſignent. Adeò ut cùm ſan.mem. Vrbani VIII.Abbreviator de Curiâ ſtatutum ejſmodi ordinem expreſſionis Eccleſiarum commutaſset, primo loco deſcribens Sacro-ſanctam Baſilicam Lateranenſem in Bullâ indictionis Iubilei anni MDCXXV. editâ mox Conſtitutione extenſionis ejuſdem Iubilei ad exiſtentes in perpetuâ clauſurâ a diſertiſsimo, æquè-ac doctrinâ, & eruditione præſtantiſsimo Pontifice (ſub benignis, ac munificis tanti Principis auſpicijs Apoſtolicæ Sedi jam ab annis quadraginta famulari cæpimus) perturbatum ordinem invertere, & palinodiam recantare coactus fuerit.

Card. Iacob. Stephaneſ. lib. 1. c. 1. de Iubil.

Comprobat etiam hanc ipſam religioſiſsimam obſervationem quicquid Cardinalis Stephaneſius memoriæ prodidit, inquiens: *Ijs initijs in dies Civium, exterorumque fides, & peregrinatio augeri capit &c. die, quâ toti Orbi venerabilis revelatur effigies, vulgò Sudarium, ſiue Veronica dicta longè plùs ſolito compactis turbis.* taque omnium concurſus in Baſilicam Vaticanam dirigebatur, in quâ Sudarium Domini, Veronica dictum, aſservatur, ac populo oſtenditur, & quidem frequentiùs Iubilei anno; nempe ſingulis Dominicis, feſtis diebus, ac ſextis ferijs, ut tradunt oculatâ fide Ioannes Villanus, nec-non Cæremoniarum Magiſtri in Diarijs, id ex præcepto Summi Pontificis peractum aſserentes.

Ioan. Vill. lib. 8. c. 36.

Oblationes pariter ad Altare Baſilicæ S.Petri (etſi aliæ deinde ad Iubilei indulgentiarum lucrum viſitationes Eccleſiarum, ſcilicèt S.Pauli, Laterani, & Sanctæ Mariæ Majoris adjunctæ fuerint) a Chriſti-fidelibus eo potiſſimùm anno munificentiùs continuatæ, ob quamdam conſtantem fiduciam adhuc acquirendi Iubilei theſaurum in ſolâ ejuſdem Vaticanæ Baſilicæ piâ luſtratione, id-ipſum ſolidiſſimè confirmant. Quæ

obla-

Digitized by Google

oblationes eò excreverant, ut ſubortam ſuper earumdem diviſione inter Cameræ Apoſtolicæ Præfectum, & Archipresbyterum, & Canonicos Baſilicæ controverſiam, Innocentius VI. Avenione degens dirimere ſtuduerit: *Volumus* (inquiens) *& etiam ordinamus, quòd dicti Archipresbyter, & Capitulum ad reſtituendum ulterius aliquid dictæ Cameræ de perceptis per eos in anno Iubilei minimè teneantur. Præterea, ſi qua ornamenta, vel indumenta Eccleſiaſtica ſuper ipſum ſacrum, ac venerabile Principis Apoſtolorum majus Altare de cætero offerri contigerit, ad cultum Dei Divinis officijs, & miniſterijs neceſſaria ad inſtar B. Leonis Papæ IX. prædeceſſoris noſtri, ea omnia eidem Baſilicæ volumus inibi perpetuò permanſura in uſum, & ſalarium ibi Deo, & dicto Apoſtolorum Principi ſervientium, & ſerviturorum: reliqua verò vaſa, ornamenta, ac indumenta dictis officijs, & miniſterijs non neceſſaria, nec-non & totum aurum, & argentum non monetata, nec laborata, & in maſſâ exiſtentia, quæ ſuper prædicto majori Altari fuerint oblata, Altararius ejuſdem Baſilicæ, qui pro tempore fuerit, noſtro, & Cameræ noſtræ nomine recipiat, & conſervet: reliquæ verò oblationes, quæ in eodem majori Altari in pecuniâ, & rebus alijs, præterquam in ſuperius expreſsis fieret pro tempore per ipſum Altararium, & quatuor annales dicti Capituli Camerarios per ipſum Capitulum ſecundùm formam ſtatutorum ipſius Baſilicæ ordinatos, in loco tuto, more ſolito, communiter reponantur certis modo, & temporibus, prout ſequitur dividendæ, videlicèt quòd de ipſis reliquis oblationibus, quæ in dicto majori Altari pro tempore fuerint, quinque dumtaxat vicibus partitiones, ſeu diviſiones, & monetarum electiones ſingulis annis fiant, niſi neceſſitas immineret; quarum prima diviſio in Dominicâ primâ poſt octavam Epiphaniæ; ſecunda in Sabbato ante Dominicam de Paſſione; tertia verò feriâ ſecundâ, vel tertiâ poſt Paſcha;*

Innoc. VI lit. dat. Avenion XI Id. Ian. Pont. an. 4.

Digitized by Google

ſcha; quarta in craſtino Aſcenſionis Domini; & quinta in craſtino Dedicationis Baſilicarum Beatorum Petri, & Pauli fiant. & infra: *Decimam verò partem ipſarum omnium reliquarum oblationum, quæ in pecuniâ, & rebus alijs, præterquàm in vaſis, indumentis, ornamentis, auro, & argento non monetatis, non laboratis, & in maſsâ conſiſtentibus, ut præmittitur, fieret de cætero in majori Altari prædicto, quæ quidem decima ipſis Archipresbytero, & Capitulo ex privilegio deberi pro luminaribus, & fabricâ dictæ Baſilicæ dicebatur, deinceps pro juribus Canonicalibus per ſe, vel dictos eorum Camerarios temporibus, quibus diviſiones ipſæ fieri debent de toto ipſarum oblationum ſic dividendarum cumulo, vel acervo Archipresbyter, & Capitulum recipiant antedicti.*

Vrbanus VI. regeſtr. epiſt. Cur. lib. 6. pag 266.

Hanc ipſam Conſtitutionem Innocentij VI. mox ab Vrbano VI. confirmatam fuiſſe liquet ex ejuſdem Pontificis literis datis apud Vrbem-veterem.

Iacob. Card. S. Georg. de Iubil. cap. 9. verſ. & nequid.

Refert verò Cardinalis Iacobus Stephaneſius, anno MCCC. Oblationes Altaris Principis Apoſtolorũ aſcendiſſe *ad ſummã florenorum quingentorũ millium*: & hanc *non ex magnis auri, vel argenti muneribus, ſed ex tenujori ære oblato* conflatam fuiſſe; *licèt non omnium oblationes, preſſurâ, vel paupertate præpedientibus injectæ eſſent. Devotè verò oblata piè diſpenſata* fuiſſe ſubdit; *ſcilicèt Caſtris, Caſalibus, prædijſque ad jus, & proprietatem Baſilicæ pro ejuſdem manutentione comparandis: mox ex eorumdem reditu Divinis, ac Apoſtolorum cultu, & officijs augendis*; Ex his verò conſtat, quanto olim Populi Chriſtiani erga Principis Apoſtolorum Baſilicam ſtudio pietatis affecti eſſent.

Hæc quidem hactenus dicta ad oblationes in Altari Sancti Petri anno Iubilei pertinere comperiuntur; cæteræ enim oblationes ſingulis quibuſque annis ad idem Altare fieri ſolitæ, olim in quatuor partes divide-

vide-

Digitized by Google

videbantur, quarum prima Palatij Pontificij quotidiano uſui impendebatur; duæ in reparationem, & manutentionẽ, ac in eidem Baſilicæ ſervientium commodũ cedebãt; altera inter Clerum Vrbis ad ſtipem annuam partienda Eccleſiarum Rectoribus credebatur; de quâ re adhuc reliquiæ ſuperſunt: cùm enim ad Litanias majores die S. Marci Clerus Vrbis ad Vaticanam Baſilicam procedit, in ĩgreſſu ipſius Baſilicæ ſinguli Baſilicarum, & Eccleſiarum Rectores ab infimo ad Vicarium Curæ Sacro-Sanctæ Baſilicæ Lateranenſis è manibus Manſionarij Baſilicæ Vaticanæ recipiunt denarium, quod *Presbyterium* dicunt, immò & *Salarium* vocat Eugenius IV. & quia inde jurgia inter Clerum oriri contingebat: ea Nicolaus V. interceſſit, ac ut ne ſerperent literas dêdit, quæ vnâ-cum prædictis Eugenij IV. quotannis, dum Clerus Vrbis Baſilicam ingreditur, ex ambone per Manſionarium altâ voce leguntur.

Eug. IV. litt. incip. ad hac noſ. dat. 15. Kal. Iun. Pont. an. 9.

Nicolaus V. lit. incipien. Quanto Baſilica datum 8. Kal. Aprilis 1448. Pont. 2.

Iure igitur Alexander VI. de eleemoſynis anno Iubilei in animarum ſuffragium in Purgatorio exiſtentium injunctis diſponens, ipſas in ſolâ Baſilicæ Vaticanæ arculâ inijciendas fore præcepit.

Alex. VI. Conſtit. dat. 3. Kal. Ianuar. ann. 1499.

Demum pro coronide cultûs ejuſdem Vaticanæ Baſilicæ, præcipuè verò Iubilei anno, Stephaneſius cecinit:

Card. Steph. de centeſ.

Aurea centeno conſurgunt ſecula Phœbo,
Et radiat cæleſte jubar, miſeratus ab alto
Filius æterni Patris de Virgine carnem
Indutus, redimitque ſuo de ſanguine culpas.
Grande datum miſeris, Romam qui limina Petri,
(Cui reſerare polos datur, & concludere Cælum.)
Deproperant, Paulique Ducis pia Templa reviſunt.
Nam gemini roſeis Vrbem ſacrare triumphis
Luce pari, nec Roma deeſt, nec præmia ſervi

Iudicis hinc cumulant Templis ſua munera Divi;
Quæ Sedes Romana ſequens, ſuffultaque tantis
Auxilijs jubilans, centeno Solis in ortu
Diluit omne nefas plenè, quin pleniùs omne
Diluit, & veniam culpis uberrima confert
Gratia, ſi æthercam paſſim fœdare figuram,
Haud timidi culpas, compuncti corda recludant,
Divorumque Patrum Petri, Paulique ſubintrent
Limina tricenis vicibus Romanus, & exter
Quindenis, rutilans Orbem quoad exeat axis.
Quiſnam igitur latitet? quænam vecordia, quænam
Segnities compeſcit iter, quin frigeat æſtus,
Et caleat glacies, liquiduſque extorreat humor?
Certè magna quies, parvus labor &c.

Tanta enim erat in Beati Petri Baſilicam veneratio, & ſacra ejus lipſana Chriſtiani populi, ac Imperatorum, & Regum religio, ut Anaſtaſius Bibliothecarius nimis prolixus videatur in enarrando Pontificum, Imperatorum, Regum, & Principum ad ipſam Baſilicam concurſum, ac munerum tranſmiſsiones, ſeu oblationes.

ann. 514. Anaſtaſ. in vit. Pont. ſub Hormiſ.

Siquidem ſub Hormidâ, inquit: *Venit Regnum cum gemmis prætioſis a Rege Francorum Clodoveo Chriſtiano donum Beato Petro Apoſtolo: & multa vaſa aurea, vel argentea venerunt de Græciâ, & Evangelia cum tabulis aureis, cum gemmis pretioſis, quæ penſant libras quindecim: Patena aurea cum hyacinthis, quæ penſat libras viginti quinque, Scyphus aureus cum gemmis penſans libras octo, Scyphus aureus circũdatus Regno penſ. libras octo, Scyphi argentei deaurati penſantes ſinguli libras quinque, Patenæ argenteæ duæ penſantes libras viginti quinque, Gabata electrina penſantia libras duas, Thecæ Cyrei aureæ duæ ſingulæ penſantes libras ſex, Pallia olobera blattea cum tabulis auro tectis de chlamyde, vel de ſtolâ imperiali, Suffitoriũ ſuper Confeſſionem Beati Petri Apoſtoli; quæ omnia Iu-*

ſti-

ſtino Auguſto Orthodoxo votorum gratiâ oblata ſunt.

Eodem tempore *Theodoricus Rex*, licèt Arrianus, *obtulit B. Petro Apoſtolo Ceroſtata argentea duo penſantia libras ſeptuaginta.*

Sub Ioanne I. Iuſtinus Imperator Græcus obtulit *Patenam auream cum gemmis ponderis librarum viginti, Calicem aureum cum gemmis ponderis librarum quinque, Scyphos argenteos quinque, & Pallia auro texta quindecim:* ann. 523.

Sub Vigilio Papâ *Beliſarius Patritius de ſpolijs Wandalorum veniens Romam obtulit B. Petro Apoſtolo per manus Vigilij Papæ Crucem auream cum gemmis, quæ penſat libras centum, in quâ ſcripſit victorias ſuas: Ceroſtatas argenteas deauratas majores duas, quæ ſtant uſque hodie ante corpus Beati Petri, ſed & alia multa dona largitus eſt.* ann. 540.

Subditque Anaſtaſius in eodem Vigilio ſingulare impiiſſimæ fœminæ in Baſilicam S. Petri reverentiæ ſpecimen, nullatenus ſilentio prætereundum, nempe quòd furens Theodora Auguſta contra Summum Pontificem, renuentem revocare Anthimum ad Sedem Conſtantinopolitanam, *miſit Anthemium Scribonem cum juſſionibus ſuis, & cum virtute majore Romam, dicens, excepto* Vigilio, *in Baſilicâ S. Petri parce: nam ſi in Lateranis, atque in Palatio, aut in quâlibet Eccleſiâ inveneris Vigilium, mox impoſitum in navi, perduc eum uſque ad nos.*

Sub Leone III. Carolus Magnus, ſuſceptâ Imperiali Coronâ more prædeceſſorum in Baſilicâ S. Petri penes ejuſdem Confeſſionem unâ-cum filio Rege Francorum ipſo die Nativitatis Domini noſtri Iesv Chriſti, peractâ miſsâ, quam audivit, *obtulit menſam argenteam cum pedibus ſuis; ſed & in Confeſſione ejuſdem Dei Apoſtoli obtulit unâ-cum præcellentiſſimo filio ſuo Rege, & filiabus diverſa vaſa ex auro puriſſimo in miniſterio ip-* ann. 795.

M 2 *ſint*

Digitized by Google

ſius Menſa ; ſed & Coronam auream cum gemmis majoribus, quæ pendet ſuper Altare, penſantem libras quinquaginta quinque, & Patenam auream majorem cum gemmis diverſis penſantẽ libras triginta, & Calicem majorem cum gemmis, & anxis duabus penſantem libras quinquaginta octo. Item Calicem majorem fundatum, cum Scyphone penſantem libras triginta ſeptem: immò et alium Calicem majorem fundatum penſantem libras triginta ſex.

Sub Benedicto III. *Michael filius Theophili Imperatoris Conſtantinopolitanæ Vrbis Imperator ob amorem Apoſtolorum miſit ad B. Petrum Apoſtolum donum per manum Lazari Monachi, & picloriæ artis nimiè eruditi, genere verò Chazai, id eſt Evangelium de auro puriſſimo cum diverſis lapidibus pretioſis; Calicem verò ſimiliter de auro, & lapidibus circumdatum reticulo pendente de gemmis albis pretioſis miræ pulchritudinis decoratum: & vela duo de olovero, cum Cruce de olovero, & liſtî ſimiliter de chryſoclavo, & parvâ coopertoriâ ipſius Calicis, ſicut mos Græcorum eſt. Similiter & veſtem de purpurâ Imperiali mundi ſuper Altare majus, & ex omni parte cum hiſtoriâ, & Cancellis, & roſis de chryſoclavo magnæ pulchritudinis deornatam, etiam & velum deſtauraci unum, cum Cruce de chryſoclavo, & literis de auro græcis.*

ann. 855.

Idem pientiſſimus Imperator ſub Nicolao I. *miſit ad B. Petrum Apoſtolum dona per Epiſcopos, quorum hæc ſunt nomina Methodius Metropolitanus, & Samuel Epiſcopi, & alij duo depoſiti ab honore Epiſcopatûs, quorum nomina ſunt, Zacharias, & alius Theophilus, & alius Imperialis laicus nomine Laſavir protoſpatarius, id-eſt Patenam ex auro puriſſimo cum diverſis lapidibus pretioſis albis, praſinis, & hyacinthinis. Similiter Calicem de auro ex lapidibus circumdatum: & in circuitu pendentes hyacinthos in filo aureo, & repidis duobus in typo Pavonum cum ſcutis, & diverſis lapidibus pretioſis hyacinthis albis. Similiter*

ann. 858.

verò

Digitized by Google

verò & veſtem de chryſoclavo cum gemmis albis habentem hiſtoriam Salvatoris, & Beatum Apoſtolum Petrum, & Paulum, & alios Apoſtolos, arbuſta, & roſas utráque parte Altaris legentes de nomine ipſius Imperatoris miræ magnitudinis, & pulchritudinis decôre, & alia multa dona.

Ejuſdem verò Benedicti temporibus *Rex Saxonum nomine, causâ orationis veniens, relictis omnibus ſuis rebus, Regnum proprium dimiſit, Romam properans ad limina Apoſtolorum Petri, & Pauli cum multitudine populi; & obtulit dona B. Petro Apoſtolo Coronam ex auro puriſſimo penſantem libras quatuor. Baucas ex auro puriſſimo duas: Spatam cum auro puriſſimo ligatam: Item Imagines duas minores ex auro puriſſimo: Gabathas ſaxiſcas de argento exaurato quatuor: Saraca de olovero cum chryſoclavo unum: Camiſias albas ſigillatas holoſericas cum chryſoclavo: & vela majora de fundato duo.*

Sub dicto Pontifice Nicolao I. *Hludovicus Auguſtus S. Petro Apoſtolo contulit dona: Et Carolus Calvus Galliarum Rex obtulit ex puriſſimo auro, & gemmis conſtructam veſtem, habentem gemmas praſinas, & hyacinthinas, & albas.*

Hucuſque Anaſtaſius, cujus ipſa verba referre placuit, quorum pleraque a Codino ad hibita ad germanas latinæ linguæ voces translata apud Gretſerum in annotationibus ad eumdem reperientur. *Cod de rit. Eccl Conſtan.*

Omittimus verò recentiorum Principum in Baſilicàm Vaticanam Religionis exhibita argumenta, ne longiùs ab inſtituto diſcedamus; pauca ex alijs Auctoribus ſubjecturi, ad Chriſti-fidelium pietatem erga ipſam Baſilicam declarandam non minùs idonea.

Oſorius Alaricum Regem Gothorum, miram Vaticanæ Eccleſiæ exhibuiſſe reverentiam, refert, cùm ſacra vaſa inde a ſuis militibus erepta, ei retribuenda præceperit. *ann. 410. Oſor. lib. 7. c. 29.*

San-

Sanctus Paulinus *Nos ipſos* (loquitur de Anaſtaſio Pontifice) *Romam* (inquit) *cùm ſolemni conſuetudine ad Beatorum Apoſtolorum natalem veniſſemus, tam blandè, quàm honorificè ſuſcepit*.

ann.420. S. Paulin. ad Delphin. epiſt.16.

Beda de Cedualdo Rege Saxonum, *Romam*, inquit, *venit Ceduald us lavacrum regenerationis accepturus, & Baſilicam Sancti Petri coram veneraturus, in quâ ſepeliri voluit*.

ann.687. Beda lib. 5. cap. 7. hiſt. Angl.

Pltina, ubi loquitur de Rege Longobardorum, inquit ejus animum adeò a Pontifice ad manſuetudinem redactum fuiſſe, *ut omiſſo bello, Armillas, Baltheum, Enſem, & reliqua arma Templo Principis Apoſtolorum obtulerit*.

ann.760. Platin. de vit. Pontif.

Eginartus in Vitâ Caroli Magni Imperatoris, *quater* (ait) *dum vixit Romam profectus eſt, ut coram Eccleſiam S. Petri viſitaret, dona offerret*.

ann.780. Eginar. in Vit. Carol. Magn.

Panvinius *Mathilda* (aſſerit) *ſanctitate celebris tanti Baſilicam S. Petri fecit, ut quò luminaribus adhibitis, ea magis decoraretur, tanquam debitam ei dotem donavit Patrimonium ſuum, ſcilicet Liguriæ, & Etruriæ præcipuas Civitates cum omnibus Oppidis, & juribus*.

ann.1070. Panuin. lib. 5. de reb. antiqu. memorab. & praſtant. Baſ. Vatic.

His ſubijcere oporteret quot Imperatores, ac Reges in veſtibulo Vaticanæ Baſilicæ ſuorum corporum exuvias, oſſium compages, cinerum urnas Principi Apoſtolorum perpetuò uſque ad conſummationem ſeculi obſecuturas, condi, & cuſtodiri ſtuduerint. Hęc & alia pleraque pietatis argumenta, quæ facilè in mentem, & calamum venirent, haud ſilentio prætereunda prætermittimus, ne a propoſito argumento nimiùm digrediamur. Verùm Deo dante de his omnibus in libro a nobis jam confecto, & ad umbilicum perducto *De antiquitate, & praſtantiâ Vaticanæ Baſilicæ* latiùs, & manifeſtiùs commemorabimus.

CA-

CAPVT IX.

De Indulgentijs, quæ viſitantibus Baſilicas Anno Iubilei propoſitæ ſunt.

QVÆ indulgentiæ viſitantibus olim Iubilei Anno Baſilicam Vaticanam conceſſæ reperirentur, haud minùs facilè explicatu eſt, quàm quo tempore Iubilei celebritas cæpta fuerit, ante ne, an poſt Bonifacium. Cùm utrumque æquè ambiguum eſſe exiſtimetur; ut de indulgentijs Iacobus Cardinalis Stephaneſius videtur innuere: *Quibuſdam* (inquiens) ***primo centeſimi die omnium culparum ſordes deleri aſſerentibus, cæteris annorum centum indulgentiam fore: ſicque ferè uſque ad bimeſtre tempus, & ſimiliter die quâ toti Orbi venerabilis revelatur effigies*** *(vulgò Sudarium, ſeu Veronica dicta)* *Quidam verò ad ipſam Principis Apoſtolorum Baſilicam dierum trium peregrinationem opportunam fore recenſebant; nobiſque idem ſciſcitantibus intulit unaquâque ejuſdem anni die, illic* (hoc eſt in Baſilicâ Vaticanâ) *centum annorum indulgentiam lucrifieri poſſe, ob quam peregrinaturus acceſſerit. Aſt Romæ pleniſsimè dilui culpas apud Gallos vulgare erat: alij quòd primâ centeſimi die omnium culparum ſordes diluerentur, cæteris quòd annorum centum indulgentia foret, autumabant.*

Iacob. Card. Stephaneſ. lib. de Centeſimo Iubil. c. 1.

Idem Card. Stephaneſ. c. 2.

Has inter ambiguitates Bonifacius VIII. quolibet centeſimo anno accedentibus ad Sacras Apoſtolorum Baſilicas, verè pœnitentibus, & confeſſis, non ſolùm plenam, & largiorem, immò pleniſſimam omnium peccatorum veniam indulſit. Patet ex Diploma-

Extrauag. Bonif. VIII. Antiquorum habet §. 2.

te

te eâ de re edito verbis ita conceptis: *Omnibus in præſenti anno milleſimo trecenteſimo a feſto Nativitatis Domini noſtri* IESV *Chriſti, & in quolibet anno centeſimo ſecuturo ad Baſilicas ipſas accedentibus reverenter, verè pœnitentibus & confeſſis, vel qui verè pœnitebunt, & confitebuntur in hujus præſenti, & in quolibet centeſimo ſecuturo non ſolùm plenam & largiorem, immò pleniſſimam omnium ſuorum concedimus veniam peccatorum.*

Card. Steph. de centeſ. c. 3 Quamobrem Cardinalis Stephaneſius, quem ſæpè commemoravimus, eamdem indulgentiarum largitionem plurimis habitis conſultationibus conceſſam refert, ſic ſcribens: *Igitur de Centeſimi novâ jam ad plenum digeſtâ materiâ, ſacrum Patrum conſultaſſe Cœtum; nolentem extinguere ſpiritum, Præſulem*, nempè Bonifacium, *favorabiliterque ob Apoſtolorum merita reſponſum conſultanti memoramus. Quibuſcumque venerabiles Apoſtolorum Petri & Pauli Baſilicas, externis quindecim, Romanis diebus triginta, viſitantibus, quoquo Centeſimo uberrimam omnium peccaminum abolitionem impertiri.* Immò & carmine idem eleganter expreſſit, cùm eâ ſacrâ viſitatione, indefinitè crimina expiari cecinit:

Diſcite centeno detergi crimina Phœbo,
Diſcite, ſi latebras ſcabroſi criminis ora
Depromant contrita ſinu, dum circulus anni
Girat, perque dies quindenos exter, & Vrbis
Incola tricenos delubra patentia Patrum
Ætherei Petri, Pauli quoque gentibus almi
Doctoris ſubeant, ubi congerit urna ſepultos.

Alexander VI Conſt. dat. 3. Kal. Ianu. ann. 1499. Alexander VI. adjecit, ut animarum ſalus eo potiſſimùm tempore procuretur, quæ magis aliorum egêrent ſuffragijs, ut quæ minùs ſibi ipſis proficere valerent, auctoritate Apoſtolicâ de theſauro Eccleſiæ, ijs in Purgatorio exiſtentibus, quæ per charitatem ab hac luce Chriſto unitæ diſceſſerunt, & quæ dum vive-

rent

Digitized by Google

rent,ut ſibi hujuſmodi indulgentię ſuffragarentur, meruerunt, de Divinâ miſericordiâ, & poteſtatis plenitudine proviſum foret. Quamobrem conceſſit, ut ſi qui parentes, & amici, aut cæteri Chriſti-fideles animarum Purgantium pietate commoti, dicto Iubilei anno durante pro reparatione Baſilicæ S. Petri aliquam eleemoſynam juxta Pœnitentiariorum, vel alicujus eorum ordinem, dictas Baſilicas, & Eccleſias modo prædicto devotè viſitantes, in capsâ Sancti Petri deputatâ ponerent,ipſa pleniſſima indulgentia per modum ſuffragij ipſis animabus in Purgatorio exiſtentibus, pro quibus dictam eleemoſynam erogaſſent, pro plenariâ pœnarum remiſſione ſuffragaretur.

Ijs pariter,qui ad Vrbẽ properantes,in itinere,vel in Vrbe adhuc non expleto ſtatuto viſitationum numero defeciſſent, vel qui aſſumpto itinere animo explendi injuncta ad Iubileum lucrifaciendum,juſto tamen impedimento detenti, iter proſequi non valuiſſent: necnon Principibus, & populis, qui bellorum turbine ab Infidelibus vexati Romam pariter adire non potuiſſent, Iubileum impartitus eſt, Prædeceſſorum exemplo. Conſtat enim literis Clementis VI. aliorumque Summorum Pontificum, quas Raynaldus ad verbum exſcripſit, Iubilei theſauri participes effectos fuiſſe Eduardum Angliæ Regem, ejuſque filium Henricum Ducem Lancaſtriæ, Iſabellam, & Philippam pariter Angliæ, & Eliſabetham Vngariæ Reginas; Hunniadem Ducem, & ejuſdem Regni adminiſtratorem, necnon populos etiam Vngariæ; Caſimirum Regem, ac populos Poloniæ; Ioannem Regem Caſtellæ, & Legionis; Alphonſum Aragonum, & Siciliæ; Ioannem Navarræ, & Renatum Hieruſalem Reges, eorumque Reginas, & Regna; de quibus etiam Gobellinus commemorat.

Clemens VI. lit. dat. 6. Kal. Febr. an. 1349. Raynald. ad ann. 1350. 1400. & 1450. Gobellin. Comment. lib. 7. pag. 67. 76. 249. & 251. lib. 8 pag. 86. 89. & 113. lib. 9. pag. 122 & 154. lib. 10 pag 247. lib. 11. à pag. 164 ad pag 195. & lib. 29 pag 56 63. 142. & 149.

Præterea Bonifacius IX. Anno Iubilei MCCCXC.
Bonifac. IX. epiſt. ſec. lib. 1. pag. 237.
quibuſdam Germaniæ populis, Corſis, & Sardis, qui nonnulla eorum Templa religioſè luſtrarent, Iubileum conceſſit, etiamſi Romam non accederent, de quã re extant literę ejuſdem Pontificis ad Conradum Epiſcopum Amelienſem.

Aliquibus tamen Principibus ejuſmodi indultum, cùm cauſæ deeſſent, denegatum fuiſſe liquet literis Clementis VI. quibus preces Hugonis Regis Cypri, aliorumque Regum, ac Principum ad obtinendum ejuſmodi Iubilei theſaurum rejectæ fuerunt. *Licèt*
Clem. VI. lit. dat. 19. Kal. Septembris 1350. tom. 9. epiſt. ſecr. pag. 78.
Te inter cæteros Catholicos Principes Orbis terræ geramus in viſceribus charitatis, & vota tua favoribus Apoſtolicis proſequamur; in indulgentiâ tamen præſenti anno quinquageſimo Iubileo Principis Apoſtolorum, & Beati Pauli Baſilicas, & Lateranenſem Eccleſiam de Vrbe viſitantibus conceſsâ per Nos pro ſalute fidelium animarum; pro quâ concedendâ tibi remanenti in Regno tuo Percivallus devotè, & ſuppliciter cum omni diligentiâ, & ſolicitudine inſtitit (multas rationes, & cauſas, quare id fieri deberet adducens) Tuæ non poſſumus annuere voluntati: licèt enim plures alij Principes, ſicut tu etiam devotè petierint; venerabiles fratres noſtri attendentes, quòd indulgentia ipſa ſicut pro ipſarum animarum ſalute, ita pro honore, ac veneratione Sanctorum Apoſtolorum conceſſa eſt, conſentire, quòd daretur alicui, niſi eaſdem Baſilicas, & Eccleſiam viſitaverit, nullatenus voluèrunt.

CA-

CAPVT X.

Portæ Aureæ apertionis, & clauſuræ ſolemnia a quo tempore celebrari cæpta.

SVPEREST, ut aliqua de Portæ *Sanctæ*, olim *Aureæ* nuncupatæ Apertionis,& Clauſuræ origine, & ſolemnijs levi calamo perſtringamus;quamſanè ad Portam Templi Hieroſolymitani omninò referendam eſſe non ambigimus:cùm nimis diſtinctè, ac ad verbum Exechiel noſtræ hujus Aureæ Portæ aperiendæ, claudendæque ritum expreſſerit,inquiens: *Porta Atrij interioris,quæ reſpicit ad Orientem,erit clauſa ſex diebus, in quibus opus ſit*:qui dies ſervitutis nempe,& laboris optimè congruunt intermedio tempori annorũ noſtri Iubilei. *Die autem Sabbati aperietur*,hoc-eſt Iubilei anno ſabbatorum ſabbato omnimodę quiëtis,& libertatis. *Et intrabit Princeps per viam veſtibuli Portæ deforis,et ſtabit in limine Portæ,& facient Sacerdotes holocauſtum ejus,& pacifica, & adorabit ſuper limen Portæ. Porta autem non claudetur uſque ad Veſperas*, ſcilicèt ad occaſum anni: *& adorabit Populus terræ ad oſtium Portæ illius.* Ita quidem Porta noſtra aurea rectà ad Orientem reſpiciens in Atrio interiori,id-eſt in interiori Porticu ipſius Baſilicæ ſita, ſabbato aperitur, die inquam quiëtis,& veræ libertatis, quâ Dominus IESVS Chriſtus ad eximendum nos è jugo ſatanicæ ſervitutis liberator advênit.Ad eam porrò ingreditur Princeps Regum Terræ, Romanus Antiſtes, per viam veſtibuli deforis, nempe per gradus exteriores Baſilicæ, qui & veſtibu-

Ezechiel. c. 46. v. 1. & 2.

lo ejus inhærent. Stat verò Summus Epiſcoporum pariter & Sacerdotum Coriphęus, & Princeps in limine Portæ, cùm eam attolli precatur Dominum, & malleo pulſat. Sacerdotes autem, utpote Cardinales, Epiſcopi, Abbates, & Pœnitentiarij, quaſi ſacris operaturi, Sacrificij veſtibus amicti, ſacrificium laudis Deo offerunt, unâ cum ipſo Pontifice Apertionis ſolemnia concelebrantes: deinde genuflexus Summus Pontifex adorat ad limen Portæ, quam Chriſto comite ingreditur, Crucem elatam ferens: demum uſque ad Veſperas completivas Anni Iubilei non clauditur Porta, ut adoret Populus Terræ ad oſtium illius.

Ieremias præterea, quâ verâ cordis contritione, & Ieremiaſ. c. 17 n. 20. animæ candore per illam ingredi oporteat, non minùs dilucidè pręnuncians, his verbis nos admonet: *Cunctique habitatores Ieruſalem qui ingredimini Portas has, ut adoretis Deum: hæc dicit Dominus: Cuſtodite animas veſtras, & nolite portare pondera, nec inferatis per Portas Ieruſalem*: pondera, id-eſt peccata, ut Sancti Patres Ierem. c. 7. num. 2. interpretantur; & alibi ſimiliter prædixerat: *Audite verbum Domini omnis Iuda qui ingredimini per Portas has, ut adoretis Dominum: hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſraël: bonas facite vias veſtras, & ſtudia veſtra: & Amon. c. 5. num. 15. habitabo vobiſcum in loco iſto*. Amon verò: *Odite*, ait, *malum, & diligite bonum, & conſtituite in Portâ Iudicium, ſi fortè miſereatur Dominus Deus exercituum domi- Prouerb. c. 31 num. 31. nator*: Vnde Sapientis adagium; *Laudent eum in Portis opera ejus*.

Ex ejuſmodi, alijſque ſimilibus ſacrę ſcripturę monimentis Ethnici, quippe qui Simiæ veritatem in fictione aſſimilantes, ut pleraque ex ejuſdem veteris teſtamenti cæremonijs, in ſuas planè ſuperſtitioſas, ac impias celebritates transferre auſi fuerunt, ita fortaſ-

ſe

ſe apertionis, & clauſuræ quorumdam Templorum ſolemnia eos olim temeraſſe perſpicuum eſt. Siquidem Virgilius, Aboriginum ætate, morem aperiendi Portas templi Iani tempore belli, eaſque claudendi, & clauſas retinendi tempore pacis, viguiſſe perhibuit; ſic enim cecinit:

Mos erat Heſperio in Latio, quem protinus Vrbes *Virgil. lib. 7. Aeneid.*
Albanæ coluêre ſacrum, nunc maxima rerum
Roma colit: cùm prima movent in prælia Martem.
Sunt geminæ belli Portæ, ſic nomine dicunt,
Relligione ſacræ, & ſævi formidine Martis.
Centum ærei claudunt vectes, æternaque ferri
Robora; nec cuſtos abſiſtit limine Ianus.

Plutarchus verò, *haſce Iani Portas* (inquit) *aperiri bello, & claudi pace compoſitâ, ſolemne eſt*. At Ioannes Roſinus refert, Numam Pompilium ſecundum Regem Romanorum multis poſt annis ordinaſſe, Templum a Romulo ædificatum tempore belli pariter aperiri. Quare Virgilius rem nouam antiquitati affinxit.

Plutarch. in Numa Pompil.
Ioan. Roſin. lib. 2. c. 3. antiquit. rom.

Non incongruè igitur tempore, quo Deus exercituum bellum præcipuè infert hoſtibus humani generis, ut fideles ſuos a peccatorum uinculis miſericorditer abſolutos ad priſtinam libertatem revocet, Romanus Pontifex Portam Vaticani Templi aperit, ac pace cum ijſdem fidelibus (remiſsâ eis pœnâ culpæ) compoſitâ claudit.

Quoad tempus verò ejuſmodi ſolemnitatis in Eccleſiam inductæ, Bruccardus olim Cęremoniarum Præfectus, ac unâ Epiſcopus Civitatis Caſtellanæ rem apertè demonſtrat: ſiquidem narrat, ſe ab Alexandro VI. infra hebdomadam tertiam Adventûs proximam Nativitati Domini vocatum eſſe, ſibique injunctum, ut Portam auream Baſilicæ Vaticanæ inciſis,

Bruccard. in Diar. ſub Alex. VI.

ſis,

Digitized by Google

ſis, & verſicoloribus lapidibus diſtingui, & exornari præciperet. Aliqui enim ejuſdem Baſilicæ Canonici Sanctitati Suæ retulerant, a majoribus ſe accepiſſe, initio cujuslibet anni Iubilei illam per Romanum Antiſtitem reſerari, & ſub finem claudi ſolêre. Similis verò Portæ Baſilicæ S. Pauli apertionis, & clauſuræ ſolemnia per Legatum Apoſtolicum expleri conſueviſſe. Subdit autem Bruccardus, cęmentarios dejecto pariete, in quo auream Portam Vaticanam elapſo Iubilei anno obſtructam extare, Canonici aſſerebant (prope videlicèt Veronicæ, quod vocabant, Sacellum) nullum antiquæ ibîdem Portæ veſtigium reperire potuiſſe; & in Baſilicâ S. Pauli Archiepiſcopum Raguſinum ab ipſomet Alexandro ad aperiendam Portam Sanctam ejuſdem Baſilicæ ablegatum, tres Portas ſub Porticu aperiri curaſſe, eò quòd Monachi de aureâ Portâ ibîdem obſtructâ in fine præcedentis anni Iubilei, nullam apud ſe traditionem, vel in Archivo monimentum aliquod haberi procul dubio aſſererent; atque adeò, vel minimam aureæ Portæ ſpeciem, aut ejus veſtigium ibi compererunt.

Vrget præterea ad hanc rem firmandam, quòd ex Bonifacij VIII. aliorumque Summorum Pontificum literis indictionis anni Iubilei uſque ad Alexandrum VI. ne verbum quidem ad ejuſdem apertionis, vel clauſuræ ſolemnia pertinens inveniatur; ab Alexandro verò ad ſan.mem. Innocentium X. incluſiuè ſemper in ſimilibus literis ſpecialis, & individua de eâ re mentio habeatur.

Aperiendæ pariter, vel claudendæ aureæ Portæ ritus adeò olim delituit, ut uſque ad Alexandri VI. tempora nulla ejus rei memoria uſpiam occurrat; immò liquidò conſtet ipſum Bruccardum preces in ejuſmodi ſolemnijs adhibendas primùm edidiſſe, eaſque

Cęre-

Cęremoniali Marcelli (Impreſſoris quidem non Auctoris) curâ in modernâ illius impreſſione Venetijs apud Iuntas anno MDLXXXII. cum ſequenti titulo ac rubricâ adjectas fuiſſe. *Preces decantatæ, & Cæremoniæ obſervatæ, aperiendo Portas Sanctas quatuor Eccleſiarum Vrbis Romæ pro anno Iubilei* MDLXXV. *& primò Eccleſiæ S. Petri in Vaticano per SS. D. N. Gregorium Divinâ providentiâ Papam* XIII. *Opt. Max. obſervatæ.*

Cærem. Rom. apud Iunt. Venet. impreſſ pag. 137. poſt cap. 17. lib. 2.

Attamen minimè ſpernenda videntur contraria teſtimonia Rieræ, Petri Matthæi, aliorumque aſſerentium, a Bonifacio VIII. Portam auream Sancti Petri ab initio Iubilei reſeratam fuiſſe: immò & Stephani Vinandi affirmantis, Bonifacium conceſſiſſe pleniſſimam indulgentiam ijs, qui Baſilicam devotè per illam ingrederentur. Præſertim quòd hiſce Auctoribus ſenum ſub Alexandro VI. Baſilicæ Canonicorum aſſertiones arrideant, ex majorum traditione ad eos derivatæ: necnon Numiſma æneum, quod Ciaconius impreſſum repręſentat in vitâ Bonifacij, ex vnâ parte Pontificis effigiem, ex aliâ imaginem Portæ Sanctæ præſeferens: tametſi modernum illud ipſe Ciaconius, & Victorellus crediderint, ad ſpeciem antiquitatis confictum.

Rier. hiſt. Iubil. par. 1. lib. 2. Petr. Matth. in hiſt. Gall. Steph. Vinand in Henul. pro diſ.

Ciac. in Vit. Bonif.

Præterea lêgimus Summos Pontifices ante Bonifacium VIII. cùm in Cœnobio S. Sabinæ moram traherent, aperire conſuëviſſe Portam auream, quæ adhuc ibi ſub Eccleſiæ Porticu viſitur. Quod ſanè nullis ſuffultum antiquitatis monumentis, nullis hiſtoricorum teſtimonijs comprobatum, adeò illorum notitiæ delituit, ut ſolus ipſe Auctor id ominatus fuerit. Quatenus verò Porta, quæ ibi in Porticu obſtructa etiam nunc appâret, quamvis ad Iubilei anni uſum olim adhibita fuiſſet; potiùs ob luëm in Suburbijs, vel prope, anno Iubilei graſſantem, Baſilicæ S. Pauli Ec-

cle-

Digitized by Google

cleſiam S.Sabinæ ſubrogatam putaremus; vti de hujuſmodi aliarum Eccleſiarum ſubrogatione ſuo loco dîcemus. Præcipuè enim ſan. mem. Vrbano VIII. Pontifice Eccleſiam S. Mariæ Tranſtyberim anno Iubilei MDCXXV. ſuffectam nos ipſi vidimus: translato in eam Aureæ Portæ uſu, quæ ibidem prope januam lateralem ad præſens quoque coſpicitur. Neminem verò reperire potuimus, qui de ſubrogatione Portæ S. Sabinæ mentionem vel minimam faciat.

Hæc præmittere placuit; ut origine, & ejuſdem Iubilei ſolemnijs in genere prælibatis, gradatim poſtea ad narrationem cujuslibet anni Iubilei a tempore, quo Hiſtorici, vel Cæremoniarum Magiſtri aliqua de ijſdem annis memoriæ prodiderunt, deſcenderemus; & ita quædam notatu digniora, pia ſcilicèt Summorum Pontificum geſta, ſuo loco & tempore in ſecundâ parte hujus Diſſertationis repetita, referentes, innatam Chriſti-fidelium in Cathedram Principis Apoſtolorũ religionem legentium animis altiùs imprimeremus.

Adhuc tamen, antequàm ad eorumdem ſingulorum Iubilei annorum narrationem propiùs accedamus, neceſſarium duximus, ſummis ſaltem labijs delibare diſſenſionem ſcribentium in ſupputatione eorumdem annorum, ut ſeriem ſubijciendam, erroribus immunem, comprobemus.

In primis verò Diuus Antoninus minimè cognovit Iubilei anni celebritates a Bonifacio IX. & a Martino V. peractas.

S. Antonin. in hiſt.

Iacobus Philippus Bergomas a Iubileo Bonifacij VIII. memoravit Iubilei annos Bonifacij IX. Nicolai V. & Alexandri VI. cæteros interea celebratos ſiluit.

Iacob. Philip. Bergom. in ſuppl. Chron.

Franciſcus Sanſovinus ſextum Iubilei annum aſſeruit ab Alexandro VI. celebratum, cùm is procul dubio octavus fuerit.

Sanſouin. in addit. ad ſupplem. Iacob. Philip. Berg.

Pla-

Platina Iubilei annos ab Vrbano VI. & a Martino V. peractos ſilentio preterivit.

Platin. in Vit. Pont. Roman.

Volaterranus recenſuit Iubileos tantummodò Bonifacij VIII. Nicolai V. Sixti IV. & Alexandri VI. cæteros oblivioni tradidit.

Volaterran. Comm. l. 22.

Ioannes Mariana numeravit tantùm annos Iubilei celebratos a Bonifacio VIII. Clemente VI. Bonifacio IX. & Sixto IV. reliquos prætermiſit.

Ioann. Marian. in hiſt. rer. Hiſp.

Cyrillus Francus Servita attulit celebritates ejuſmodi a Bonifacio VIII. Clemente VI. Bonifacio IX. Nicolao V. Paulo II. Alexandro VI. Clemente VII. Iulio III. & Gregorio XIII. editas; at Iubilei annos Vrbani VI. & Martini V. ſilentio obvôlvit, & Iubilei annum MCCCCLXXV. Pauli II. aſſeruit, quem Sixto IV. tribuere debebat.

Cyrill. Franc. ſeruit. de Iubil.

Ioannes Baptiſta Leonius Martini V. Iubileum minimè recenſuit.

Ioann. Bapt. Leon. epiſt. ad Marc. Quirin. impreſſ. in to. 2. Idea Zucchij.

Genebrardus Iubileum a Nicolao V. celebratum quintum memoravit, quem ſextum fuiſſe certum eſt.

Genebrard. in Chronograph.

Octavius Pancirolus aſſeruit, ab Vrbano VI. annum MCCCLXXXIII. & a Ioanne XXII. annum MCDXVI. Iubilei celebritate decoratos accepiſſe ex Conſtitutione Pauli II. In eâ tamen de illâ re nulla fit mentio. Præterea ſubdit, Martinum V. non publicaſſe, ſed ſolummodò confirmaſse Conſtitutionem Vrbani VI. quod ſecus evênit.

Pancirol. I. Teſori naſcoſti di Roma.

Auguſtinus Valerius Cardinalis de Veronâ tacuit Iubileum a Martino V. peractum.

Auguſtin. Valer. Card. Veronen. Comment. de Iubil. ann. 1600.

Thomas Vandinus affirmavit, Vrbanum Sextum ejuſmodi anni celebritatem ad trigeſimum quemque annum reduxiſſe, & primam ejuſmodi reductionem in praxim redactam fuiſſe a Bonifacio IX. anno MCCCC. quem MCCCXC. extitiſſe liquet. Præterea Paulum II. celebraſse, ait, annum Iubilei MCDLXXV.

Thom. Vandin in Concion. Anni Sancti.

quem Paulo è vivis erepto a Sixto IV. peractum fuiſſe liquidò conſtat: præterit autem Iubileum Martini V.

Robert. Miræus in Chron.

Robertus Miræus omittit Iubileum ab Vrbano VI. celebratum.

Horat. Turſellin in Compend. hiſt.

Iacob. Godon.


Horatius Turſellinus non recenſuit Iubilei annos ab Vrbano VI. & a Martino V. peractos.

Iacobus Godonius memorat Iubilei annos Bonifacij VIII. Clementis VI. Vrbani VI. Sixti IV. Alexandri VI. & Clementis VIII. cæteros etiam modernos alto ſilentio involvit.

Verùm de his ſatis, & jam ad noſtræ hujus Diſſertationis ſecundam partem gradum faciamus; cùm prædicta attigiſſe ſufficiat, ne nos in ſerie, quæ ſequitur, perperàm aliorum errore deceptos damnari contingat.

DE

Digitized by Google



DE ORIGINE ET PROGRESSV CELEBRITATIS ANNI IVBILEI

PARS II. CAP. I.

De Iubilei ſecularis anno MCCC. a Bonifacio VIII. peracto.

BONIFACIVS VIII. Iubilei celebritatem quolibet ſeculari anno recolendam reſtauravit, ſeu inſtituit, eamque anno MCCC. jam incæpto indixit, ac religioſè obivit: conceſſitque peregrinis, alijſque exteris verè pœnitentibus, & confeſſis quindecim, Vrbis autem ipſius incolis triginta vicibus, totidem diebus Baſilicas Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, quam tunc adjecit, viſitantibus, pleniſſimam delictorum omnium remiſſionem. Exeunte autem anno, earumdem indulgentiarum lucrum ijs impertivit, qui in Vrbe aderant pere-

grinis: nec præſtitutum viſitationum numerum expleverant, vel eo non abſoluto deceſſerant, ſeu ſacrum iter legitimè impediti proſequi non potuerant. Terminum præterea prorogavit ad Dominicam proximam Reſurrectionis Domini, ſubſequentis anni ijs, quibus de alieno infra annum ſatisfacere non licuerat. Ter pariter, nempe feriâ quintâ majoris hebdomadæ, die Dedicationis Baſilicarum Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & feſto Nativitatis Domini Iubileum indulſit omnibus ijs, qui animo injunctas viſitationes perficiendi ad Vrbem conceſſerant, dummodò ſaltem unicâ ex præfatis diebus Baſilicas viſitarent. Declaravit etiam Iubilei annum non extendi ad annum Incarnationis Dominicæ, ut aliqui putabant, ſed ad annum Nativitatis Domini juxta ritum Sanctę Matris Eccleſiæ.

Publicandi Iubilei tempus inſtabat, Cathedræ ſcilicèt S. Petri celebritas, in quâ idem indictum fuit lecto Diplomate *Antiquorum* &c. in ipsâ Baſilicâ Vaticanâ, ut Stephaneſius tradit, non quidem in Atrio Baſilicæ, ut alij retulerunt. Illico Romani & advenæ eo pietatis ardore Apoſtolorum Baſilicas luſtrare cœperunt, ut idem Stephaneſius ita de eâ re ſcripſerit: *Nec mora, totius Orbis Caput Roma, Civitatis populus nullo ſexus, vel ætatis, dum pubertatis annos exegiſſet, diſcrimine*, *ad ſuorum Baſilicas Patronorum* (quos ita pariter appellavit Antoninus Epiſcopus Conſtantienſis) *quoad dierum intervallum finem accepiſſet, curſitabat; nec defuêre innuptæ, die ob virginitatis pudorem domi virorum aſpectibus obtectæ, nocte ſub fidâ matronarum cuſtodiâ ad ſacras Principum ædes migrantes. Incredibilis porrò hominum multitudo, non modò ex Italiâ, Siciliâ, Sardiniâ, & Corſicâ, ſed ex Gallijs, Hiſpaniâ, Angliâ, Germaniâ, & Hungariâ ad Vrbem properavit. Nec ſolùm juve-*

Iac. Card. Stephaneſ. de Iubil.

Idem c. 4. & 6

Antonin. Epiſc. Conſtantien. ad Arcad. epiſt. 136.

nes,

nes, & vegetæ ætatis, ſed etiam ſeptuagenarij, & infirmi, qui lecticis vehebantur, ad Vrbem confluxerunt.

Eumdem advenarum concurſum confirmant omnes Eccleſiaſticorum Annalium Scriptores, inter quos Ioannes Philippus Bergomas, Bucholcerus, & Gualterius ex Crantzio referunt, eo anno ad indulgẽtiam acquirendam tantam undique hominum multitudinem Romam confluxiſſe, *ut vix incedere per Vrbem amplam, & vaſtam liceret.*

Io:Phil. in ſuppl.Chron. Abrah.Buchol, & Io:Gualter. in Chronol. Crantz.Sax, l.8.c.36.

Id-ipſum ſanè comprobat Chronicon Colmarienſe, in quo hæc memoriæ commendata leguntur. *Bonifacius VIII. ratione Iubilei omnibus venientibus Romam tanta abſolutionis beneficia contulit, quòd tantus factus eſt concurſus Romam, ut ſæpiùs unâ die fuerint in eam ingreſſi, eâque egreſſi triginta millia hominum.* Sanctus Antoninus: *Ex omni natione,* ait, *quæ ſub Cælo eſt fidelium, & mares, & fœminæ ad eam indulgentiam profecti ſunt; adeò ut communiter diceretur, quòd ſine Romanis, ſolùm ex peregrinis ducenta millia eſſent per totum illum annum in Vrbe ſine ijs, qui erant in viâ; tamen ſatis copioſè proviſum eſt de victualibus.*

Chron.Colmar ann.1300.

S. Antonin. tit. 20. c. 8. §.11.p.3.

Stephanus Infeſſura in ſuis Diarijs Italo idiomate ſcripſit, quæ in latinum translata ad verbum ſubijcimus: *Anno* MCCC. *Bonifacius VIII. celebravit Iubileum, pro quo conſequendo tantus populus Romam profectus eſt, ut via vix eam multitudinem caperent. Quo anno Romam etiam vênit germanus frater Philippi Pulchri Galliarum Regis, Carolus Valeſij Cenomanorum Comes, qui a primo matrimonio celebs uxorem duxerat Balduini junioris Græcorum Imperatoris ex Philippo filio neptem Catharinam, itaque Soceri jure Auguſtus dici contendebat.*

Stephan. Infeſſur. in Diar, in Bonifac. VIII.

De Caroli Martelli Regis Hungariæ ad Vrbem ob indictum a Bonifacio Iubilæum adventu, Summontius, & Conſtantius agunt: & Trithemius de pleriſ-

Summont. & Conſtant. in hiſt. Neap. p. 2

que

Trithem. in Chronic. Hirſaugien. que Principibus, Epiſcopis, Abbatibus, alijſque ex Germaniâ Præſulibus, & Magiſtratibus.

Baronius denique in ſchedulis ex codice, in quo continentur Dialogi Beati Gregorij, ut ſcribit ex eo Raynaldus: *Admirabilis*, inquit, *Chriſtiani populi multitudo ad obtinendam omnium peccatorum remiſsionem pleniſsimam, Apoſtolorum limina viſitavit, & quia ſicut arena maris Chriſtianus populus confluebat ad Vrbem, nullo modo credi potuit, quòd tantus populus ſaturari potuiſſet: ſed Dei cooperante gratiâ, tanta fuit abundantia victualium, quòd quantò magis populus multiplicabatur, tantò alimoniarum copia redundabat. Præterea eodem ipſo Iubilei anno in Sanctorum Apoſtolorum Baſilicis a diverſis languoribus plurimi curati ſunt; exibant ſiquidem dæmonia a multis, clamantia, & dicentia, quòd non ſolùm Apoſtoli Petrus, & Paulus ipſa eÿciebant è corporibus obſeſsis, quæ invaſerant, ſed multitudo animarum populi Chriſtiani & illas, quæ exigentibus peccatis, laqueis diabolicæ fraudis ſe ſubdiderant, a* Iesv *Chriſto impetrabat, è faucibus eorum liberari: & pluſquàm publicè clamabant, quòd dictorum Apoſtolorum meritis, omnes animæ in Purgatorio exiſtentes, a pœnis liberatæ, gloriam æternam obtinere meruërunt.*

Raynald, Contin. annal. Baron. ad ann. 1300 num. 7.

Hinc igitur colligi poteſt, quantùm plurimorum oratio efficax ſit apud Deum, qui in Matthæo nobis promiſit, *quòd ubi duo ex nobis conſenſerimus ſuper terram, de omni re quacumque petierimus ſiet nobis.*

Matth. 18. num. 19.

Nec concurſum ad Vrbem minuit Edictum, ne quis è Regno Galliarum Romam adiret, a Philippo Pulchro irâ in Bonifacium commoto euulgatum. Spes enim Terræ Sanctæ è manibus Saracenorum recuperandæ Bonifacio effulſerat ex inſignibus Caſſani Tartarorum Regis victorijs. Hic ſubactis Ægypto, Damaſco, Syriâque, Chriſtianam fidem amplexus, jam

jam

jam ad Hieroſolymam iter intendebat, ut illam Chriſtianis liberam reſtitueret. Bonifacius itaque animum, & vires ad id intendens, memoratum Philippum ad piam expeditionem inflammare ſatagens, Apameenſem Epiſcopum Oratorem ad illum deſignat. Is cùm ad ſacram Vrbem communibus viribus redigendam, Regem id obire renuentem ferventi motus zelo *minis* urgeret; *adeò ejus accendit iram*, ut ille *quemquam è ſuo Regno Romam* proficiſci præfato *atroci vetaret Edicto*. Nihilominùs Pontificalis Indulgentiarum beneficij fama, in omnes Orbis Chriſtiani partes perlata, ita incredibilem totius Occidentis excivit ſedibus ſuis molem, ut Ioannes Villanus oculatâ fide teſtetur, nullum ferè abijſſe diem, quin Vrbs Romana cc. peregrinorum millia hoſpitio exciperet: Dei providentiâ (ut ait nunquam ſatìs celebratæ memoriæ Lucas Waddingus, nobiſcum, dum vixit, amicitiâ conjunctiſſimus) victualium copiâ cum hominum numero excreſcente.

Ayt̃onus, hiſt. Orien. c. 43. & 44.

Turſell. Epit. hiſt. an. 1300.

Vill. l. 8. c. 36

Vuadd. annal. Ord. min. an. 1300.

Verùm quia in Caſſanum Tartarorum Regem incîdit ſermo, ejuſdem converſionis cauſam, per ea tempora, ſi Walſinghamo ſubſcribere velimus, inſignibus nobilitatam miraculis, ad eximium noſtræ ſanctæ fidei decus, & ornamentum, referemus. Prædicto Regi tunc Pagano ex ſuâ conjuge Chriſtianâ, Regis Armeniæ filiâ, natus erat infantulus, ita hiſpidus, adeòque deformis, ut vix humana ſpecies in eo apparêret. Rex itaque ob adulterij ſuſpicionem Reginam cum puero flammis comburi præcepit. Illa in tali diſcrimine poſita, divino inſtinctu ducta, enixè Regem rogavit, ut antequàm neci traderetur, ſe Chriſtianorum more, animo ritè expiato, angelicâ dape refici, ac filium ſacrâ baptiſmatis undâ ablui permitteret. Res mirabilis dictu, viſuque! Puerum è ſalutari lavacro eductum, illico mundum, ac mirè ſpecioſum Rex,

Vualſing. in Eduar. 1.

cun-

Vualſing. loc. cit. Io: Vill. de l. 8, c. 35.

cunctique adſtantes conſpexêre. Quamobrem, ut tradunt idem Walſinghamus, & Ioannes Villanus rem fuſè narrantes, ipſe non minùs miraculo attonitus, quàm lætitiâ geſtiens, cum universâ familiâ ſacro fonte luſtratus, Chriſtianam fidem ſuſcepit. Sed jam ad noſtrum inſtitutum redeamus.

Bonifacius VIII. lit. Dat. Romæ apud S. Petrum Kal. martij Pont. ann. 6. incip. Nuper per alias.

Declaravit pariter Bonifacius, quòd deferentibus victualia, & arma ad infideles, Iubileum minimè ſuffragaretur, his verbis: *Verùm quia multi indulgentiarum gratiâ ſe reddunt indignos, declaramus expreſsè, & dicimus manifeſtè, quòd illos falſos, & impios Chriſtianos, qui portaverint, vel portabunt merces, ſeu res prohibitas Saracenis, vel ad Terras eorum reportaverint, vel reportabunt, ab eis indulgentiarum hujuſmodi, cùm non ſint capaces, nolumus eſſe participes, ipſoſque penitus excludimus ab eiſdem* &c.

Sub finem verò ejuſdem anni Iubilei, literis non bullatis Bonifacius exteris, qui tunc erant in Vrbe, quàmvis non compleviſſent injunctas viſitationes, Iubileum conceſſit; ut ita ad domos quoſque ſuas ſacris muneribus donatos hilares dimitteret.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT II.

De Iubileo celebrato Anno MCCCL. *a Clemente VI. quinquageſimi Indictione ſtatutâ.*

CLEMENS VI. quinquageſimo quoquo anno Iubileum celebrandum fore ſancivit ex Sanctæ Birgittæ, vt ſupra innuimus, revelatione, de quâ teſtimonium perhibet Alphonſus Eremita, Epiſcopus olim Giennenſis, ejuſdem S. Birgittæ peregrinationum comes, atque cæleſtium omnium arcanorum particeps. In eâ memoratur, ante annos triginta revelatum fuiſſe S. Birgittæ indictum iri Iubileum anno MCCCL. ac ſimul iniunctum, ut ex parte Dei Omnipotentis Clementi VI. non adhuc Pontifici inter alia ſcriberet, quòd prædicaret, & annunciaret gentibus annum Iubilei milleſimum trecenteſimum quinquageſimum.

Reuel. S. Birgit. lib. 6. cap. 63.

Alphonſ. Giennen. Epiſ. in format. ſuper legit. Vrbani VI. elect.

Inſuper tradit Auguſtinus de Angelis, Clementem VI. tum Romanorum civium precibus motum, tum viſione reverendæ cujuſdam perſonæ, manu duas claves geſtantis, dicentiſque ſibi: *Aperi oſtium, & ex eo ignem mitte, quo caleſiat, & illuminari valeat totus mundus*, Iubileum ad quinquageſimum quemque annum more Moſayco reduxiſſe. Avenione tamen degens Clemens, provinciam celebritatis ejuſdem anni commiſit Annibaldo Cardinali Ceccano Epiſcopo Tuſculano Legato ad id ſpecialiter deputato, cum ampliſſimis facultatibus reducendi arbitrio ſtatutum numerum dierum viſitationis Eccleſiarum, quibus libuiſſet, ut Albericus refert, ſibimet, coniugi, & filijs

Auguſtin. de Angel. in hiſt. Eccl. ad ann. 1342.

Alberic. in Dictionar. verb. Iubileus Annus.

indultum, ut ſexies viſitaturi Baſilicam Iubileum conſequerentur: immò ad unicam interdum vicem viſitationum numerum ob victualium penuriam contractum, teſtantur Ananias, & Thomas Fiortifiocca.

Ananias Thom. Fortifioc. in vit. Nicol. de Renzio.

Alium pariter ejuſdem Legationis comitem Guidonem tit. S. Cæciliæ etiam in Hungariam deſtinatum perhibet Henricus Rebdorfius Monachus, nec-non tertium addit Ciaconius, videlicèt Petrum Cyriaci tit. S. Chryſogoni Presbyterum Cardinalem; iiſque ab Vrbe abſentibus, facultatem reducendi dies viſitationum a Clemente tributam fuiſſe Pontio Epiſcopo Vrbevetano, idem Rebdorfius, & Bzovius tradunt.

Rebdorf. in Chronic. Ciac. in vit. Clement. VI.

Accidit verò, quòd prope fuerit, ut Cardinalis Anibaldus reformationi Vrbis intentus a ſeditioſis appetitus, lapidibus obrueretur; niſi Ioannes de Lucâ Præceptor tunc Noſocomij S. Spiritûs in Saxiâ, & Generalis Ordinis ejuſdem Magiſter, olim prædeceſſor noſter, magnæ quidem auctoritatis vir, in plateam Sancti Petri, ubi tumultus gliſcebat, profectus, furentis plebis inſaniam cohibuiſſet, ut Thomas Fiortifiocca refert. Quare de Ioanne Præceptore, haud ineptè canere poſsimus illud Virgilianum:

Rebdorf. ubi ſupra. Bzou. tom. 14. ad an. 1350.

Thom. Fiortifiocc. c. 37.

Virgil. Eneid. lib. 1.

Ac veluti magno in populo cum ſæpè coorta eſt
Seditio, ſævitque animis ignobile vulgus,
Iamque faces, & ſaxa volant, furor arma miniſtrat;
Tum pietate gravem, ac meritis ſi fortè Virum, quem
Conſpexere, ſilent, arrectiſque auribus aſtant.
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Eo anno, ut ſcripſit Mattheus Villanus ejuſdem ævi hiſtoricus, Chriſti-fideles ampliſſimæ veniæ peccatorum, quam Summus Pontifex Dei Vicarius elargitus fuit, conſequendæ causâ permoti, incredibili alacritate ſacrum iter periculis omnibus, & incommodis poſthabitis ſuſceperunt; totque undique Romam

Matth. Villan. lib. 1. c. 56.

mam

mam confluxere, ut communi conſenſu exiſtimatum fuerit, a feſto Chriſto Naſcenti ſacro cunctis ſolemnibus, ac Quadrageſimæ diebus uſque ad Dominicæ Reſurrectionis Paſcha decies, ac duodecies centena circiter peregrinorum millia euntium, ac redeuntium in Vrbe verſata fuiſſe: ſacro autem Aſcenſionis Domini, & Pentecoſtes tempore ultra octies centena millia: verùm procedente anno numerum imminutum, non tamen adeò, ut quotidie ſaltem ducenta hominum millia Romæ non reperirentur.

Subdit præterea Villanus, remiſſo æſtu, auctum fuiſſe peregrinorum numerum, ac præcipuè tunc Tranſalpinos, pleroſque utriuſque ſexûs generis nobilitate conſpicuos ad Vrbem convolaſſe; inter quos recenſentur, ut Auguſtinus Cardinalis Veronenſis ex Surio acceptum refert, S. Birgitta, ad quam, cùm Romæ degeret, Catharina ejus filia, marito Sueciæ Regis cognato concedente, vênit unà-cum pleriſque nobilibus peregrinis, & copioſo familiarium agmine: Maria Guidonis Cardinalis ſoror, Boloniæ in Belgio Comitiſſa: Inſularum, Fuxique pariter Comitiſſæ: Marchioniſſa Montis-ferrati: Vicecomes Caramagni: Elnenſis Epiſcopus, Sacri Imperij Princeps: alijque ſpectatæ dignitatis viri, ac fœminæ, qui Eccleſias Vrbis non ſine magno pietatis ſenſu perluſtrarunt, de quibus ejuſdem Clementis literæ clariſſimum reddunt teſtimonium.

Auguſtin. Cardinal Veron. Comment. ad Iub Clem. Sur. to 4. die 23. Iulij.

Clem. VI. liter ſec. to. 8 pag. 298. tom 9. pag. 115. 118. & 131.

Præterea Ludovicus Hungariæ Rex, ut tradit Antonius Bonfinius, diſpoſitis in Regno Neapolitano Præfecturis, cæteriſque rebus, quæ magni momenti erant, licèt gravis in Italiâ lues ubique graſſaretur, cùm Iubilei annus inſtaret, in quo delictorum expiatio, & animarum ſalus Romæ a reſipiſcentibus comparabatur, pientiſſimus ac religioſiſſimus Princeps

Anton. Bonfin. dec. 2. lib. 10. Summont p. 3 l. 3.

Digitized by Google

propriæ ſalutis occaſionem prætermittendam non eſſe ratus, Vrbem viſere, & mox in Hungariam redire ſtatuit: Bzovius inſuper addit, eumdem Regem pluries Baſilicam Apoſtolorum peditem viſitaſſe, ſacrum Chriſti Sudarium veneratum fuiſſe, & quotidie rei divinæ in Eccleſiâ Vaticanâ ſolemniter celebratæ interveniſſe; alioſque Reges, ac Principes Romam ſe venturos palàm profeſſos fuiſſe narrat, niſi rerum publicarum curis diſtenti fuiſſent.

Bzou. tom. 14 ad ann. 1350.

Idem comprobant Clementis literæ, quibus præfati Regis, aliorumque preces, ut memoravimus, rejectæ, oculis ſubjiciuntur, nec-non alijs pleriſque Epiſtolis, quibus elapſo Iubilei anno idem Pontifex eorumdem ſupplicationibus benignè arriſit, propterea quòd ſe paratos Romam venire oſtenderant, niſi Regnorum neceſſitatibus implicarentur. Quin & literis ad Archiepiſcopum Brunduſinum, in Siciliâ Apoſtolicæ Sedis Nuncium, directis Clemens facultatem dêdit, ut triginta fideles Iubilei munere ditare poſſet, dummodò adeundæ Vrbis ad veneranda ſacra Apoſtolorum limina deſiderio flagraſſent, at juſtis impedimentis diſtracti propoſitum implere non valuiſſent.

Clem. VI. lit. dat. Auen. 19. Kal. Septembris ann. 2.

Clem. VI. lit. ſecr. tom. 9. pag. 249.

De eodem Iubilei anno præter alios hæc ſcripſit eloquentiſſimus Petrarcha: ***Quàm dulce eſt Chriſtiano animo Vrbem cernere Cœli inſtar in Terris, ſacroſanctis Martyrum nervis, atque oſſibus confertam, & veri teſtium pretioſâ cæde reſperſam: Videre venerandam populis Salvatoris imaginem,*** nempe Veronicam, ***& in ſaxo duriſſimo æternùm gentibus adoranda veſtigia, ubi ad literam impletum cernitur illud Iſaiæ: Et venient ad te curvi filij eorum, qui humiliaverunt te, & adorabunt veſtigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi: circumire Sanctorum tumulos, vagari per Apoſtolorum atria, melioribus jam curis comitibus.***

Petrarch. lib. 2. epiſt. famil. epiſt. 9.

Iſai. cap 60. num. 14.

Pere-

Digitized by Google

Peregrinorum ſiquidem Veronicam videndi ſtudium,ac pietas, ſicuti Villanus refert,olim adeò vigebat, ut præfato Iubilei anno, nonnulli præ turbâ eliſi, extinctique in Vaticano interdum comperti fuerint. Luculentiùs verò prædictus Henricus Monachus oculatus teſtis, lugubrem ſanè narrat hiſtoriam: nimirum Dominicâ Paſſionis, cùm primùm oſtenſum eſſet Sudarium Domini, ſive Imago delata per Veronicam, eximiâ ob concurſum populi colliſione in Eccleſiâ S.Petri, ſe præſente, plurimos ſuffocatos periiſſe.

Villan. d. l. i. c. 56.

Henric. Monach. in Chronic.

Eluxit præterea piorum liberalitas erga Principis Apoſtolorum ſacra pignora in pleriſque muneribus Aræ maximæ Vaticanæ magnificè oblatis: adeò ut ſubortam, quemadmodùm proximè diximus, circa eorumdem partitionem, controverſiam inter Præfectum Cameræ Apoſtolicæ, & Archipresbyterum, & Canonicos Baſilicæ, Pontifex extinguere ſuis literis neceſſarium duxerit: licèt enim Baſilicis Apoſtolorum idem Clemens nunquam ſatìs laudatam Sacroſanctam Baſilicam Lateranenſem (prout Gregorius XI. Baſilicam Liberianam) adjeciſſet, attamen fidelium pietas erga Baſilicam Vaticànam conſtans perpetuaque perennavit.

Greg. XI. Conſtit. Saluator. dat. Auenion. 3. Kal. Maij Pont. ann. 3.

Digitized by Google

CAPVT III.

De Anno Iubilei MCCCXC. *ab Vrbano VI. indicto, & a Bonifacio IX. celebrato.*

Gobellin. in Coſmodrom. at. 6. c. 81.

Vrban. VI. Conſtit. edit. 3. Idus Aprilis ann. Pont. XI. Chriſti 1389.

POst hæc, ut fusè Gobellinus commemorat, Vrbanus VI. conſtituit annum Iubilei per Clementem VI. de centeſimo ad quinquageſimum contractum, temporibus inde ſecuturis, de trigeſimo tertio in trigeſimum tertium quemlibet annum obſervari debere, & annum proximum MCCCXC. Iubileum fore indixit: eâ motus ratione, *quòd totum tempus vitæ Domini noſtri* IESV *Chriſti poſt ejus nativitatem, unde omnes indulgentiæ peccatorum emanarunt, ac theſaurus Eccleſiæ cumulatus eſt, triginta trium annorum curriculo completum fuerit.* Sunt verba ipſius Gobellini.

Paul. II. Conſt. ann. 1470. 13 Kal. Maij Pōt. ann. 6.

Octau. Pancir. Teſori naſcoſti impreſſ. ann. 1600.

Id-ipſum confirmant plerique Auctores, quos longum eſſet recenſere, & clarè comprobat Paulus II. in Conſtitutione *Ineffabilis*. Quamobrem corrigendus eſt error Panciroli, in quem incautè nonnulli Auctores inciderunt, quòd nempe idem Vrbanus Iubileum celebrandum indixerit annum MCCCLXXXIII. cùm conſtet, Bonifacium IX. annum Iubileum ab Vrbano indictum celebraſſe MCCCXC. ut inferiùs patebit. Error tamen Panciroli innititur decurſui triginta trium annorum a proximo Iubileo MCCCL. cui ſuperaddito numero triginta trium annorum conficitur annus MCCCLXXXIII.

Verùm ut hæc ſupputatio falſa evincitur ex Hiſtoricis, immò & a Pontificiorum Diplomatum narrativis;

Digitized by Google

vis; ita Iubileus annus MCCCXC. nullatenus reſpondet revolutionibus annorum triginta trium a Nativitate, vel a Paſſione Domini: Siquidem quadrageſima ſecunda triginta trium annorum, quæ tunc contingere poterat, revolutio complebatur anno MCCCLXXXVI. Latet itaque, quâ ratione Vrbanus annum MCCCXC. utì trigeſimum tertium ætatis Domini Iubileum conſtituerit, ac indixerit, eumque Bonifacius celebraverit: ſed res ita ſe habuit, & hiſtorica narratio ei, quòd factum fuerit, non quod faciendum foret, obſequitur.

Non deſunt tamen, ac præ cæteris Cyrillus Francus Servita, qui aſſerant, ejuſmodi reductionem ab Vrbano VI. confictam eſſe, cùm de eâ S. Antoninus, Sabellicus, Nauclerus, & Tarcagnota ne verbum quidem ſcripſerint: fatendum tamen eſt, hos penitùs ignoraſſe Conſtitutionem Bonifacij IX. (quâ ipſe trigeſimi tertij anni reductionem confirmavit, deque illâ literis ad Richardum Angliæ Regem mentionem fecit) nec-non Pauli II. *Ineffabilis*, & Sixti IV. *Paſtoris æterni*, eamdem reductionem recenſentium. Licèt verò Benzonius Epiſcopus Recinetenſis, & Nicolaus Alamannus a Victorello relatus, perquiſitas Vrbani VI. ejuſmodi reductionis literas reperire non valuiſſe aſſerant, non tamen evincunt, eas ad manus Abbreviatorum de Curiâ præfatorum Pontificum minimè perveniſſe, & forſan apud illos perijſſe.

Cyrill. Franc. Seruit. de Iubil. c. 9.

Benzon. Epiſco. Recineten. de Iubil. Nicol. Alaman. Victorell. de Iubil. p. 2.

Sunt etiam, qui ad trigeſimum, ad trigeſimum quartum, & trigeſimum ſextum annum reductionem Iubilei reijciunt: eamque anno MCCCLXXXIIX. ab Vrbano VI. decretam aſſeverant, ut præter alios Lilius Gregorius Giraldus Theodorici è Niem errorem ſecutus. Itaque alij Iubilei annum ab eodem Pontifice Vrbano celebratum aſſerunt anno MCCCLXXXIX. alij a Boni-

Papir. Maſſonus de vit. Epiſ Vrb. Ciac. in Bonifac. VII. Iac. Gordon. Chronol. Panuin. in Vrb. VI. Il. Girald. de an. & menſ.

Digitized by Google

Theod. è Niem. l. 1. c. 68. Gib. Genebrardus Cronogr. Petr. Opmeerus Chronogr.

Bonifacio IX. anno MCCCXCI. vel anno MCCCXCIII. eſt fortaſſe ſpecie decepti, quòd extent literæ Bonifacij IX. conceſſionis Iubilei pleriſque Principibus, ac populis, exacto ſcilicèt Iubilei anno expeditæ.

Boet. de Iur. Iubil. & Indulg. n. 11.

At prorſus inane, & a veritate nimis alienum eſt dictum Boëtij Eponis, aſſerentis Gregorium XI. celebraſſe Iubileum anno MCCCC. cùm jam anno MCCCLXXVIII. idem obijſſet. Prout etiam in hujuſmodi errore verſati ſunt ij, qui præfatum Gregorium XI. reductionis Iubilei ad trigeſimum tertium annum auctorem conſtituunt; dum ille de ejuſmodi reductione ſtatuendâ tantùm cogitavit, ſed eam in praxim minimè redegit, ac tantummodò inter alias Baſilicas anno Iubilei inviſendas, Baſilicam S. Mariæ Majoris adjecit, ut Paulus II. ejus Succeſſor, & Sixtus IV. demonſtrant. Sed parcendum eſt plurima narrantibus, ſi interdum in aliquem errorem labantur, quibus omnia oculis ſubijcere conceſſum non eſt.

Paul. II. Conſt. ineffabilis: Sixt. IV Conſt. ſaluator,

De his autem ſatis: & veram annorum Iubilei ſeriem proſequamur.

Theodoric. è Niem. lib. 1. c 68.

Bonifacius IX. Iubilei annum MCCCXC. ab Vrbano VI. indictum celebravit, tanto exterorum ad Vrbem concurſu, ut Theodoricus è Niem ſcripſerit, innumerabiles peregrinos, poſtquàm Iubileus incæpiſſet, præſertim ex Alemanniâ, Hungariâ, Poloniâ, Bohemiâ, Angliâ, alijſque Regnis, & regionibus ex obedientiâ Vrbani ad Vrbem confluxiſſe, licèt quibuſdam Germaniæ Civitatibus Bonifacius lucrandarum ibîdem Iubilei indulgentiarum modum præſcripſiſſet; videlicèt, ut nonnulla earum Templa religiosè luſtrarent: ſumptus verò in itinere faciendos Quæſtori Pontificio pro inſtaurandis Vrbis Eccleſijs perſolverent, ut pariter in alijs Regnis factitatum fuiſſe liquet, literis ejuſdem Bonifacij ad Conradum Epiſcopum

Amelienſem . Propoſitus verò quæſtus adeò in abominabilem quorumdam Religioſorum,& Clericorum avaritiam degeneravit , ut idem Bonifacius alijs literis ad Benedictum Ferrarienſem , & Beltrandum Novocomenſem Epiſcopos per Italiam Commiſsarios Apoſtolicos conſtitutos , nec-non ad Gerardum Razeburgenſem Antiſtites per Germaniam adlectos reprimendæ ſimoniacæ fraudi , ut Gobellinus affert , egregiam operam dederit,ne immanis illa labes viros Eccleſiaſticos deformaret .

Boniſac. IX. Epiſt. cur. lib. 1. pag. 337.

Idem ad Benedictum Ferrarien. ex lit. dat. 14. Kal. Novembris an. Pont. 1.

Idem ad Gerardum Razeburgen. lib. 1. epiſt. cur. pag. 298.

Gobellin. c. 83. & 87.

Eodem ipſo anno Wenceſlaus Rex Bohemiæ Iubileum Pragæ celebrare cupiens , id ex voto a Bonifacio obtinuit, ut Romano more , ac ritu obire poſset. Inſigni igitur religione , ac mirâ hominum frequentiâ , qui non Iubilei tantùm intuitu , verùm reliquiarum ſacrarum viſendarum gratiâ eò confluxerunt, pia celebritas acta eſt .

Præterea Richardo Angliæ Regi , adeò Regni negotijs implicato , ne poſset Romanam peregrinationem ſuſcipere, ejuſque uxori Annæ Wenceſlai Imperatoris filiæ id ſibi etiam concedi enixè flagitantibus Iubileum Bonifacius indulſit , quo in Anglia frui liceret .

Bonifac. IX. lit. dat. 4. non. Ian. Pont. an. 1. Incip. exigunt devotionis .

Simili pariter privilegio donavit Ioannem I. Luſitaniæ Regem, ejuſque uxorem Philippam, de quo literas in Vaticanæ Bibliothecę Archivo lêgimus. Univerſis quoque Terrarum,& locorum ditionis Stephani Friderici , & Ioannis fratrum , cæterorumque Bavariæ Ducum , & partium adjacentium incolis per tres dietas legales literis ad Apoſtolicæ Sedis Nuncium directis Iubileum conceſſit ; labore tamen perſonali,quem ijdem ſubijſsent ad Urbem peregrè profecturi , in alia pietatis opera commutato ; nec-non Longobardis , ut Bernardinus Corius aſserit,qui bel-

Idem lit. Incip. Dudum dat. 4. non. Ianu. eodem an. 1390.

Idem lit. ad Herman. de Balueſt, Prapoſ. S. Andr. Friſingen.

Cor. in hiſt. Mediol. par. 3. ad an. 1391.

lorum turbine vexati Romam adire nequiverant, ſupplicante Ioanne Galeatio Vicecomite, injunctâ videlicèt viſitatione Eccleſiarum, quas Ordinarius deſignaſset; eaſque S. Mariæ Virginis, Sanctorum Nazarij, & Laurentij, S. Ambroſij, & S. Simpliciani idem Corius recenſet.

Hiſt. Erford. Landtg. Turing. c. 135.

Miſniæ etiam Incolis anno MCCCXCIII. Willelmi Marchionis precibus ab octavo Paſchatis die ad celebritatem S. Andreæ Apoſtoli id-ipſum conceſſit, ac præcipuè Fratribus Ordinis S. Dominici in Capitulo generali Erfordiæ tunc congregatis.

Ioan. Bapt. Pign. de Princip. Ateſtin. lib. 5.

Ex Italorum verò Principibus, qui Iubileum conſequendi causâ Romam eo anno conuenerunt, inſignis fuit Alberti Eſtenſis Ferrariæ Marchionis pietas, qui, ut Io: Baptiſta Pigna commemorat, cum quadringentis ſuis familiaribus, uniformi habitu indutis, magno religionis ſenſu ad Vrbem vênit.

CAPVT IV.

De Anno MCCCC. *quem aliqui Iubilea ſacrum fuiſſe aſſeruerunt.*

Boninſegn. lib. 4. hiſt. Florent.

Platin. in Bonif. IX.

LICET verò decennium tantùm interceſſiſset a præterito Iubileo ad annum milleſimum quadringenteſimum, & lues, ut Boninſegnius refert, Italiam dirè vexaret, quam ob cauſam, & ob populi Romani diſſidia Bonifacius Româ digreſſus, Aſiſij degebat. Idem Pontifex a Romanorum Legatis, ut ardentiſſimè exoptabat, exoratus, teſte Platinâ, Romam rediit, quaſi vellet Iubilei annum celebrare: verùm a Iubilei conceſſione

pror-

prorſus abſtinuit. Verba Platinæ ſunt: *Legati Populi Romani, appropinquante Iubilei anno milleſimo quadringenteſimo, Bonifacium Aſsisij degentem adeunt, & enixè rogant, ut Romam proficiſceretur.*

Ea verò, quæ ad hiſtoriæ complementum Platina ſubjicit, ex induſtriâ reticemus: ac ex Cardinali Ægidio Viterbienſi accepta proſequemur, cùm idem eleganter, ac fuſiùs rem narret: *Inſtabat*, inquit, *jam ſacer annus centeſimus; quare ad Iubileum celebrandum Romani ſe accingere, Oratores mittere, Pontificem revocare ſatagunt. Pontifex, qui tunc Aſsisij degebat, & id quidem ardentiſsimè præcupierat, deſiderium tamen diſsimulare, voluntatem tegere, quod illi poſtulabant tergiverſari deliberavit; ratus adveniſſe tempus, quo omnes ex Vrbe tenebræ, & Tyrannorum radices evellerentur, & Sol, qui in Vrbe poſuit tabernaculum ſuum, imperaret in Vrbe ſolus; nec eſſet in poſterum, qui ſe abſconderet a calore ejus, hoc-eſt, qui in Vrbe Pontifici non parêret. Negat tamen prudentiſsimus Pontifex in Vrbem ſe venturum, niſi Romani Banderiſios eÿciant, & Senatorem recipiant. Tollunt ſtatim Romani Banderiſios, Senatorem recipiunt, & Conſervatores admittunt: omnia demum faciunt, & ſe facturos ſpondent, quæ juberet Pontifex modeſtiſsimus, graviſsimus, optimus. Nulla vis Vrbem Romam cæpit; nulla arma domuêre; nulli Imperatores, nullum barbarum robur obtemperantem reddere potuit: tot bella, tot exercitus, tot incendia, tot direptiones, tot anni, tot ſecula non valuerunt quòd ſolus Bonifacius egit. ſolus præſtitit: & quod alÿ jubendo, bellando, aſſequi non potuêrunt, hic fugiendo, diſsimulando, cunctando reſtituit. Rurſuſque a Sacerdotibus illud Ennÿ cantitatum eſt. Vnus homo cunctando reſtituit rem; fecit itaque Pontificis ſapientia, ut obſervato tempore parêret jam Eccleſiæ Vrbs Roma; fecit continentia, & ſanctitatis opinio, ut Romani*

Card. Viterbien. Comment. de ſec.

Digitized by Google

contraire non auderent, fecit magna virtutis auctoritas, ut poſt tot ſecula, omnia tandem Romæ nutu Pontificis adminiſtrarentur. Hucuſque Ægidius.

Reditus Bonifacij ad Vrbem expetentibus Romanis, ut Iubilei milleſimum quadringenteſimum annum celebraret, pleriſque Scriptoribus anſam præbuit opinandi, quòd idem annus ſacris Iubilei indulgentijs deſtinatus fuerit. Itaque Auguſtinus de Angelis *Hoc*, inquit, *anno* MCCCC. *comprimendi ſchiſmatis causâ magnum Iubileum Bonifacius IX. celebravit; quamvis non ita pridem Vrbanus VI. ad annum trigeſimumtertium in memoriam annorum Chriſti celebraſſet*.

Auguſtin. de Angel. hiſt. Eccl. ad ann. 400.

Et ſanè ſi Bonifacij Octavi Centeſimi inſtaurationem, & Clementis Sexti ad quinquageſimum reductionem attendamus, eodem anno MCCCC. Iubileum celebrandum erat: at ſi Vrbani VI legem ſpectemus, quâ ad trigeſimum tertium annum Iubileum contraxit, indulgentiarum theſauris eumdem annũ MCCCC. caruiſſe conſtat; cùm præterea Bonifacius IX. Vrbani VI. reductione ratâ habitâ annum MCCCXC. Iubilei theſauris inſignem paulò ante reddidiſſet.

Attamen innumerabilis hominum multitudo Sanctam Chriſti fidem profitentium, quòd putaret eumdem annum Iubilei beneficio decorandum fore, ad Vrbem peregrè profecta eſt. Sed & Iubileum celebratum fuiſſe aſſerunt S. Antoninus, Ioannes de Ananiâ, Flavius Blondus, Ioannes Nauclerus, Iacobus Philippus Bergomas, Sabellicus, Platina, Petrus Boninſegnius, Iacobus Meierus, Ioannes Mariana, Franciſcus Ioannettus, Ciaconius, Bzovius, Ioannes Baptiſta Leonius,

S. Antonin. ann. 1400. Ioan Anan. hiſt. Iub Blõdus Decad. 2. lib 10 Ioan. Nauclerus in Chron. generat 47. Iacob Philip. Bergom. in ſupplem. Chronic. Sabellicus lib 9 Encad 9.9. Platin. in vit. Bonif IX. Petr. Boninſegn hiſt. Florent. lib. 4. Iac. Meier. in Annal. Flandr. Io. Marian. Hiſt. Hiſpan. lib. 19. c 10. Franc. Ioannet. hiſt. Pont. Rom. Ciacon. in vit. Bonif. IX. Bzouius in Annal. Eccl. & lib. 2. de Schiſm. cap. 28. Io. Bapt. Leon. in Idea Secr. Petr. Matur. in addis. ad hiſt. D. Antonin. par. 3. tit. 22 c. 3. Henric. Spondan in addit. Chronolog. ad Annal. Baron. Carol. Sauſſ. Annal. Eccl. Aurelian. l. 14 Theoderic è Niem. Herat.

nius, Petrus Maturus, Henricus Spondanus, Carolus Sauſſejus, Theodoricus è Niem tunc Secretarius, ſive Abbreviator Apoſtolicus, Horatius Turſellinus, Petrus Opmeerus, Surius, Boëtius Epo, alijque non obſcuri nominis Auctores, quos omnes manifeſti convincunt erroris literæ Bonifacij, quæ extant in Archivo Bibliothecæ Vaticanæ, quarum diſpoſitio his verbis concepta eſt: *Cum nonnulli Pontifices Prædeceſſores noſtri de centeſimo in centeſimum, & deinde de quinquageſimo in quinquageſimum revolutis annis ob frequentiam, & concurſum fidelium causâ devotionis de diverſis Mundi partibus ad almam Vrbem confluentium &c. Per hoc tamen indulgentias, & remiſſiones peccaminum Chriſti-fidelibus centeſimo, & quinquageſimo annis hujuſmodi præfatas ſcilicet S. Petri, ac S. Pauli extra muros prædictæ Vrbis Baſilicas devotè viſitantibus ab ipſis noſtris Prædeceſſoribus quandocumque conceſſas minimè concedimus, nec ipſas confirmamus.*

Horat. Turſellin. lib. 9. epitom. hiſt.
Petr. Opmeer. oper. Chronograf.
Sur. tom. 3. in vit. S. Bernard Sen.
Boet. Epo. de iur. Iubil.
Bonif. Conſt. cum Nonnulli

Hac tamen declaratione non attentâ, vel aliquibus ignotâ, innumeri præſertim ex Gallijs (ut tradit Theodoricus è Niem) aſſerentes hunc annum juxta antiquam inſtitutionem centeſimi, & quinquageſimi Iubileum fore, catervatim penè per totum annum ad Vrbem properarunt; quàmvis adeò dira lues in illâ ſæviret (ſicuti refert præfatus Boninſegnius) ut ſingulis diebus ſexcenti, & interdum octingenti deſiderarentur. Idem confirmat Mejerius his verbis: *Romam propter Iubileum multi currebant, ſed in magnâ parte peregrini peſtilentiâ oppreſſi reditum perdidere.* Ciaconius verò: *Poſt tantam* (inquit) *alluvionem hominum, quæ partim ſuperſtitione Alborũ, partim frequentiâ Iubilei advenerat, magnam hominum multitudinem peſtilentiâ conſumptam fuiſſe conſtat.* Et Surius: *Sæviente*, ait, *illâ peſte terribili, & generali anno ſalutis* MCCCC. *in quem inci-*

Theodoric. è Niem lib. 2. cap. 28.
Petr. Boninſegn. lib. 4. hiſt. Florent.
Meier. Annal. Flandr. lib. 14
Ciacon. in vit. Bonif. IX.
Sur. tom. 3. in vit. S. Bernard. Senen.

incidit Iubileus, innumeri peregrini Romam euntes, & inde redeuntes ad celeberrimam illam toto Orbe Chriſtiano Domum hoſpitalem Beatiſsimæ Virginis Mariæ, quæ de Schalâ dicitur Senis confluxere. Prout verò peſtilentia concurſum ad Vrbem exterorum cujuslibet nationis minimè cohibuit, ita nec Galliarum Regis edictum, quo vetuerat, ne quis Romam pergeret ob æris penuriam, & clades Regni obfuit, quin innumeri ex eodem Regno Romam confluxerint. Iiſdem ferè verbis uſus Carolus Sauſſejus id-ipſum optimè comprobat, aſſerens: *Anno* MCCCC. *celebratur Romę Iubileum, ad quod innumeri ex Gallijs profecti ſunt, licèt Edicto Regio ſancitum eſſet, ne quis Romam iret propter penuriam pecuniarum, & clades Regni.*

Magis tamen veritati conſona ejuſce edicti publicationis cauſa extitit, quòd Galliarum Rex in obedientiâ Benedicti XII. Pſeudo-Pontificis verſaretur, & Romam, cui legitimus Pontifex Bonifacius præerat, ſubditos ſui Regni adire prohiberet. Subditi autem Regis, qui præcedenti proximo Iubilei anno Benedicto parêntes, rari ad Vrbem confluxerant, eò quòd Iubileum ab Vrbano (quem illegitimum Pontificem putabant)ad trigeſimum tertium contractum, & indictum fuerat, ad ſecularem antiquæ inſtitutionis Iubileum avidiſſimè convolarunt; ut optimè quidem advertit Theodoricus è Niem in hæc verba: *Et quia primo Pontificatûs Bonifacij anno, cùm juxta ordinationem Vrbani VI. & approbationem Bonifacij IX. plurimi pro indulgentijs anni Iubilei conſequendis de univerſis Mundi partibus, obedientiam ipſi Vrbano præſtantes ad Vrbem Romanam confluerent, illi qui de Regno Franciæ erant, & alij obedientiam ejus repudiantes, illo anno hujuſmodi indulgentijs Romam non venerint, ſed juxta priorem ordinationem Clementis VI. anno Domini* MCCCC. *in maximâ multitudine pro hujuſmodi indulgen-*

Theodoric. à Niem loc. cit.

tijs

tijs conſequendis, Romam venientes, limina Sanctorum viſitabant.

Quòd verò Bonifacius in Iubileî ſolemnijs eo anno ſcilicet MCCCC. ſeſe minimè implicuerit, ex eo quidem evincitur, quòd integrum eumdem annum conſumpſerit in concordiâ ineundâ cum Fundorum Comite, adhibito ejus interprete Ladislao Rege Siciliæ: in compeſcendâ Ioannis, & Nicolai Prænestinorum Ducum audaciâ, qui cum militibus ipſius anni initio, in Vrbem irruerant: & in extinguendo quorumdam Albatorum inſtructo Religioſorum agmine. Hi in Pontificis perſonam conſpirantes, & pietatem præſeferentes, Imagines Crucifixi, & Beatiſs. Virginis lateritias exprimebant; inde infuſo in illas ſanguine, & olei liquore, æſtivo tempore eas in fucatum ſudorem compellebant. Ex quibus maleficis unum ſe Eliam Prophetam de Paradiſo reducem profitentem, mundum brevì terræmotu periturum prædicentem, ſervato juris ordine combuſtum præfatus Theodoricus è Niem commemorat.

Bonif. IX. regeſtr. Epiſt. Cur. lib. 5. pag. 343. & lib. 6 pag. 68. Theodoric. è Niem. lib. 2. c. 27.

Theodoric. è Niem lib. 2. c. 26.

Eumdem etiam Pontificem eo anno totum ſe collocaſſe liquet, in parandâ, præſtandâque ope Vladiſlao Regi Poloniæ, cujus exitium moliebantur, ac virtutem exercebant victores Tamerlanis Duces: præterea in ſchiſmate Petri de Lunâ abolendo, nec-non in Norvegis, Suecis, Danis, Germaniſque inflammandis ad ſuſcipienda religioſa arma contra Bajazetem, Conſtantinopolitanum Imperium opprimentem, ut conſtat ex literis ad Epiſcopum Vratislavienſem, & ad Auguſtinum de Hundinis directis, indultâ Cruce-ſignatis noxarum veniâ, ac indulgentiarum ſtipendio ſimul collato. In illis ſiquidem aſſerti Iubileî anni indulgentiam, ſi ea verè conceſſa foret, aliquo modo expreſſiſſet; verùm cùm ipſam alto ſilen-

Cromerus lib. 15. Salomon Neugeb. lib. 6.

Boniſ. literæ dat. 14. Kal. Febr. & 11. Id Ian. Pont. ann. XI regeſt. Ep. Cur. l. 5. pag. 302. & 306.

ſilentio involverit, argumento eſt, nullam prorſus extitiſse.

CAPVT V.

De Iubileo ex reductione triginta trium annorum celebrato a Martino V. Anno MCCCCXXIII.

Paul. II. lit. dat. an. 1470 13. Kal. Maij Pont. ann. 6. §. 5.

MARTINVS V. ut conſtat literis Pauli II. reductionem Vrbani VI. ratam habuit, ipſamque in ſuâ firmitate perſiſtere, & quolibet anno trigeſimo tertio ab anno milleſimo trecenteſimo nonageſimo Iubileum obſervari debere conſtituit, prout anno MCCCCXXIII. ad effectum reduci voluit; eaque contractio obſervata extitit, multis ad Vrbem concurrentibus, eò quòd univerſus Orbis ſummâ pace, & tranquillitate frueretur, tantaque frumenti, ac rerum ubertas ubique eſſet, ut ſarcina tritici obolis viginti, ordei duodecim diſtraheretur. Eò verò prorſus collimant aſſertiones Sixti IV. & Iulij III. in Diplomatibus Indictionis pariter Iubilei, nec-non Victorelli, qui tamen faſſus eſt Conſtitutionem Martini V. qua Iubileum indixerat, ſe in Archivo Vaticano reperire non potuiſſe. Panvinius verò de Martino ait: *Hic Pontifex annum Iubileum quintum celebravit.*

Victorell. p. 2. hiſt. de Iubil. pag 257.

Panuin. in Chron. Rom. Pont. ann. 1423.

Decepti tamen fuere Ciaconius, & Bzovius hujuſmodi Iubileum celebratũ aſſerentes anno MCCCCXXV. Pancirolus verò narrat quidem Martinum confirmaſſe Conſtitutionem Vrbani VI. ſed reticet, ab eodem Pontifice celebratum fuiſſe annũ Iubilei MCCCCXXIII. in eoque errans, quòd Iubilei annũm MCCCCXXIII. per-

Ciac. in vit. Martin V. Bzouius in annal. Eccl. tom. 15. Pancirol. Teſori &c. typ. edit. an. 1600

Digitized by Google

peractum aſſeveret a Ioanne XXII. qui antea anno MCCCCXVII. obierat.

Mirum tamen videtur, quòd in Martini Regeſtris nulla epiſtola appareat, quæ ad Iubilei annum ſpectet; quodque de actis anno MCCCCXXIII. Hiſtorici, qui rariores ſunt (ac præſertim Diuus Antoninus in hiſtoriâ, ubi de Martino agit, tunc inter vivos, cùm ſeptuagenarius anno MCCCCLIX. obierit). de anno hujuſmodi Iubilei omnino ſiluerint; quippe quòd dilucidè conſtet, eo anno Martinum in cogendis Provincialibus in Germaniâ,& alibi Synodis implicitum Senas contendiſſe, novo ſchiſmati extirpando intentum (Petro de Luna in Latibulo Peniſcolæ Dertuſenſis Diœceſis extincto, cui eodem Martino contradicente,operâ Alphonſi Aragonum Regis ipſi Martino infenſiſſimi,a duobus Benedicti Pſeudo-Cardinalibus ſuffectus erat Clemens, antea Ægidius appellatus,Barchinonenſis Canonicus, qui mox ſe Pontificatu abdicavit).

S. Antonin. in hiſt. in Martin. V.

Bellarm. de ſcript. Eccl.

Liquet inſuper,Martinum eo pariter anno ſtuduiſſe abolendæ Boëmorum hæreſi, & audaciæ Archiepiſcopi, & Capituli Cantuarienſis comprimendæ. Hi ab anno MCCCCXX. indixerant ad præſentem annum quamdam Romani Iubilei ſpeciem, propoſito lucro indulgentiæ plenariæ luſtraturis Eccleſiam Cathedralem Cantuarienſem, nec-non Pœnitentiarijs inſtitutis ad quoslibet a quibuſcumque caſibus reſervatis abſolvendos. Extant eâ de re literæ, quibus Martinus Iacobo Tergeſtino Epiſcopo,& Simeoni de Teramo pro Camerâ Apoſtolicâ in Angliâ Collectori,ac reſpectiuè Apoſtolicæ Sedis Nuncio provinciam commiſit, ejuſmodi ſcandaloſas novitates abolendi, prout omnino per Epiſcopum, & Capitulum ſublatæ fuerunt. In his autem literis, de abrogando Iubileo,

Martin. V. Epiſt. cur lib. 4. pag 184. lib. Breuium pag. 74.

R ad

ad tunc Romæ vigentis æmulationem, illegitimâ poteſtate in Angliâ indicto, nulla prorſus mentio reperitur; auctoritati tamen Pauli II. multùm, & eâ, quâ par eſt, reverentiâ deferendum eſſe, religioſè fatemur.

CAPVT VI.

De magno Iubileo peracto a Nicolao V.
Anno MCCCCL.

Nicol. V. Conſtit. Immenſa dat. 14. Kal Febru. 1449. Pont. 1. Clem. VI. Conſtit. Vnigenitus Greg. XI. Conſt. Saluat. dat. 3. Kal. May Pont. Ann. 3.

INITIO Anni MCCCCXLIX. Nicolaus V. proximum ſequentem annum Iubileo ſacrum fore conſtituit, indixitque, & Clementis VI. ac Gregorij XI. Diplomata comprobavit, ut Paulus II. Sixtus IV. Iulius III. literis pariter Indictionis Iubilei, nec-non Sixtus V. in Bullâ Canonizationis Sancti Didaci confirmant. Strenuam verò navavit operam, ad acceſſum in Vrbem tutum reddendum, quippe qui, teſte Platinâ, Italiæ in arma concitatæ motus compreſſerit, pacemque inter Principes conciliaverit. Tantâ enim auctoritate cum urbanitate conjunctâ Nicolaus pollebat, ut non ſemel Principum animos ad arma inflammatos refrenarit, ejuſque nutibus Fridericus Imperator Felicem Pſeudo-Pontificem Pontificatu ſe abdicare compulerit.

Platina in vit. Nicol. V.

Iacob. Philip. Bergom. ſupplem. Chron.
Platina in Nicol. V.
Pius II in Comment. l. 1

Itaque extincto ſchiſmate, & universâ Italiâ in pacis tranquillitate quieſcente, inſignis adeò advenarum multitudo Romam profecta eſt, ut Iacobus Philippus Bergomas, & Platina nuſquam tantam confluxiſſe aſſerant, & Pius II. ubi agit de proceſſione Capitis S. Andreæ Apoſtoli (eo ſedente in Vrbem translati)

ti) ex Germaniâ, Galliâ, alijſque Tranſalpinis regionibus, ac in primis ex Italiâ innumerabiles populos, & multos nobilium ſtudio viſendi ſacrum verticem conveniſſe, affirmet, *adeò ut in Iubileo, qui ſub Nicolao V. Pontifice Romano celebratus eſt, quem conſtat fuiſſe maximum, nunquam unâ die major hominum multitudo viſa fuerit*. Et rurſus hæc ſubdat: *Nicolaus V. celebravit Iubileum magnâ populorum frequentiâ*. Marianus verò Florentinus id probat, inquiens, *Iubileus cum magnâ devotione per totam Chriſtianitatem celebratur anno* MCCCCL. *& ingens multitudo ad limina Apoſtolorum confluxit*; Sabellicus quoque idem clarè confirmat his verbis: *Magnus eſt annus celebratus, nec a condito ævo, major mortalium conventus religionis causâ unum in locum coivit unquam*; & Papirius Maſſonus aſſeverat, inquiens: *vidit Nicolaus tot peregrinorum millia, quot duo ſimul Bonifacij Prædeceſſores olim viderant*. Demum id-ipſum tradunt Gonzalus de Illeſcas, Tarcagnota, Ciaconius, Cornelius a Lapide, Auctor Chronicorum Friſingenſium, & Iulius Roſeus, quorum dicta conſultò omittimus, ne legentibus tœdio ſimus; quamobrem Ioannes Ananias ad hæc corroboranda ſubijcit, quindecim dierum numerum, ad conſequendum Iubileum exteris decretum, ad minorem redigere neceſſe fuiſſe, ne ipſa Roma tot gentium incapax redderetur, adituſque patefieret novis ſuccedentibus hominum turmis.

Idem lib. 2.

Fr. Marianus Florentin. in faſcicul. tempor.

Sabellic. lib. 5. enead. 10.

Pap. Maſſon. in Nicol. V.

Gonzal. de Illeſcas in hiſt. Pont. par. 2. lib. 6. c. 14. Tarcag. hiſt. lib. 2. c. 29. Cornel. à Lapid. in c. 25. Levitic. Chronic. Friſingen. par. 3. lib. 3. c. 34. Iul. Roſeus in Schol. ad lib. Confeſ. Card. S. Georgij.

Ingens verò, atque innumerus advenarum ad Vrbem undequaque confluentium concurſus ex eo facilè colligi poteſt, quòd unâ die plerique ad Baſilicam Sancti Petri Veronicam viſendi ſtudio convolantes, obviam facti confertiſſimo populo ex eâdem Baſilicâ redeunti, ita ſe in Ælio Ponte invicem conſtipaverint, ut ex ijs quamplurimi partìm in Tyberim lapſi, partìm irruenti turbâ preſſi, ac obtriti interierint.

S. Antonin. par. 3. tit. 22. cap. 12, §. 3. hiſt.

Ita enim ſcribit Sanctus Antoninus: *In anno* MCCCCL. *celebratus fuit Iubileus ſolemniter cum indulgentiâ plenariâ viſitantibus* Eccleſias *Vrbis quatuor, certis diebus determinatis, pœnitentibus, & confeſſis certo modo, & formâ: ad quam conſequendam convenerunt ex omni Natione, quæ ſub Cœlo eſt, fidelium plurimi, mares, & fœminæ: multi ex eis propter laborem longi itineris ultramontani, & ob incommoda corporis, vel etiam propter peſtem aliqui in viâ defecerunt. contigit autem Romæ in ipſo Iubileo caſus lacrymabilis; nam cum unâ dierum manè, Vrbe peregrinis plenâ, plurima multitudo recedens ab Eccleſiâ S. Petri, viſo Sudario Domini obviaret turbis innumeris euntibus ad ipſam Eccleſiam S. Petri pro videndo Sudario in Ponte S. Angeli, ſeu juxta Caſtrum S. Angeli, ita ſe invicem compreſſerunt, & oppreſſerunt, ut quatuor-centum, & multò plures ſuffocarentur in dicto Ponte, & aliqui etiam in Tyberim lapſi necarentur, quorum corpora collecta, & viſa ab omnibus, ſimul ſepulta ſunt.*

Clariùs autem eadem legitur hiſtoria in Chronico MSS. aſſervato in Bibliothecâ Barberinâ, ab Eminentiſsimo D. Cardinali Franciſco Barberino, non tam dignitate, quàm virtutum omnium genere celeberrimo, ſcientiarum & liberalium artium cultore eximio, ac Patrono beneficentiſſimo, ſummo ſtudio, magnoque ſumptu comparatâ; ibi: *Die* 19. *menſis Decembris oſtensâ Veronicâ, ſolemnique per Pontificem benedictione elargitâ, cùm populus a Plateâ S. Petri pontem Adriani repeteret, nec inferior multitudo hominum Vaticanum Templum adiret, mula quædam Petri Cardinalis Barbi, media inter euntes, & redeuntes, adeòque preſſa, quod nec regredi, nec progredi poſſet, calcitrando multos oppreſsit, alios Tyberis undis ſe miſerando caſu concedere coëgit; ipſaque mula cum tribus equis ſuffocata remanſit: quare ad ducentos homines periiſſe ferunt partim in* Ec-

Chron. MSS. Bibliothec. Barberin.

cle-

cleſiâ S. Celſi (ut Sabellicus numerat ad centum triginta) cæteros verò in Campo Sancto ſepultos fuiſſe eâdem die . Et de hoc numero conveniunt Fr. Iacobus Philippus Bergomas, Platina, Pius II. Cardinalis Ægidius Viterbienſis, Tarcagnota, Ciaconius, Gonzalus, & alij.

Sabellic. ænc-id. 10. lib. 5.

Proſequitur verò multitudinis populi, ad Nicolai Iubileum profecti, narrationem Iannozius Manettus, ejus concursûs cauſam ſubijciens his verbis: *Non ſolùm ob hanc tantam divinam feſtivitatem, ſed etiam ob admirabiles pontificalis perſonæ conditiones, quæ jam per totum pene terrarum Orbem famâ undique intonante peragraverat, tota populorum omnium Chriſtianorum multitudo concurriſſe, & confluxiſſe perhibetur, ut cæteris Iubileis hactenus celebratis numero, et copiâ hominum utriuſque ſexûs non immeritò præferri poſſe exiſtimetur. Tanta enim Pannonum, Germanorum, Cimbrorum, Britannorum, Gallorum, Hiſpanorum, Celtiberorum, Portugalenſium, Græcorum, Dalmatarum, Italorum, cæterorumque Chriſtianorum populorum, ut omnes uno verbo ſummatim comprehendamus, caterva quotidie confluebant, ut concurrentium congregatio cujuslibet menſis dimidio per arbitrium deſignato in ſtuporem, admirationemque procederet; tanta namque, & tam magna adventantium gentium catervæ quotidie concurrebant, ut quaſi ſturnorum, apumve, & formicarum agmina, mirabile, & incredibile dictu! viderentur.* Ideòque non mirum, quòd funeſtus ille caſus ex populi multitudine in Ælio Ponte compreſsâ acciderit: ut comprobat Mejerus inquiens: *Initium habuit annus Iubileus maximâ hominum multitudine Romam confluente; adeò ut mutuò ſe opprimerent, & exanimarent, atque uſque in Tyberim protruderent.*

Iannoz. Manet. lib. 2. in vit. Nicol.

Meier. lib. 16 Annal. Flandria.

Quâ re motus Pontifex, quippe qui ex eo funeſto caſu dolorem hauſerat acerbiſſimum, demolitis ædibus, dirutiſque tabernis, Pontis viam anguſtiorem

Volater. Com. Anthr. l. 22. Bzou. & alij.

red-

reddentibus, plateolam, quæ eidem Ponti adjacet, ampliorem, viamque expeditiorem fecit.

Nec modicum Iubilei celebritati præbuit decus, & incrementum, B. Bernardini Senenſis inter Sanctos adſcriptionis ſolemnitas. Hic vir ſanctus è Franciſcanâ diſciplinâ, pietate pariter, ac doctrinâ clarus Euangelij præco, per Civitates totius Tuſciæ, & Longobardiæ non popularem auram, plauſumque captare ſatagens, ſed ſpiritualem tantùm fructum, animarumque ſalutem quærens, verbum Dei maximo auditorum concurſu ubique ſeminando, tandem in Civitate Aquilanâ quieverat. Itaque celebrato in Vrbe, eodem Iubilei anno, Capitulo generali Fratrum Minorum ejuſdem Ordinis S. Franciſci; Nicolaus præhabitâ acri diſcuſſione ſanctitatis vitæ, virtutum, & miraculorum ejuſdem B. Bernardini, illum de conſenſu Cardinalium, & Prælatorum, ad preces plurimorum Principum, die Pentecoſtes in Sanctorum catalogum retulit. Canonizationis ſolemnijs interfuêre Oratores Regis Æthiopiæ, ut tradit Iacobus Philippus Bergomas, nec-non termille & octingenti Fratres Ordinis minorū Obſervantium, inter quos S. Didacus qui obtinendæ ampliſſimæ indulgentiæ cauſâ in Vrbem venerat, & Beatus Ioannes a Capiſtrano, qui Vicariâ Præfecturâ eidem Ordini præerat, ſtrenuamque impenderat operam, ut Sanctorum honores B. Bernardino decernerentur.

Nicol. V. Conſtit. Miſericordias dat. dat. Kal. Iun. Pont. an. 4.

Iac. Phil. Ber. in ſuppl. Chronic.

Eo pariter anno Fridericum III. electum Romanorum Regem, futurum Imperatorem, Italiam ingreſſum fuiſſe innuit S. Antoninus pro coronâ Imperiali è manibus Nicolai ſuſcipiendâ, ubique eo, quo par erat decôre, & magnificentiâ exceptum. Illi Florentiâ tranſeunti, cum toto Clero Archiepiſcopus (tunc ipſe Diuus Antoninus) ad Portam Civitatis vnâ-cum

S. Anton. p. 3 hiſt. c. 12. §. 3

Ma-

Magiſtratu Florentino obviam proceſſit. In Conuentu autem S. Mariæ Novellæ hoſpitio acceptus Imperator, in eâ Civitate per quatuor dies degens, cùm officio Purificationis Beatiſſimæ Virginis interfuiſſet, è manibus celebrantis cereum benedictum devotè ſumpſit: ac quaſdam Sanctorum reliquias, ſibi in vaſe argenteo ab Vniverſitate oblatas, magno pietatis, ac religionis ſenſu accepit. Quare poſt nobiles quoſdam Florentinos militari dignitate donatos, duobus Cardinalibus, quos Nicolaus Florentiam miſerat, comitatus, Senas perrexit: ac demum Romæ Imperiali diademate coronatus eſt. Veriús tamen alij a Bucholcero relati, nec-non Infeſſura, Nauclerus, & Manettus (is Florentini Populi Orator aderat) ejuſdem Coronationis ſolemnia, & ritum fusè narrantes, eamdem reijciunt in annum MCCCCLII. quo datæ viſuntur literæ Nicolai ſuper eiſdem Imperialibus inſignibus Friderico traditis.

Ianoz. Manet. l. 2. vit. Nicol. mss. an. Bibl. Vatic. alij ad an. 1452. Bullar. to. I. in Nicol. V. conſt. 4.

Refert etiam Ioannes Trithemius eo Iubilei anno Romam adveniſſe Iacobum Archiepiſcopum Treviranſem, Sacri Romani Imperij Electorem: alterum Iacobum Epiſcopum Metenſem Cliviæ Ducem: ac Principem Albertum Friderici Germanum fratrem; quem Nocte Nativitatis Domini gladio & galero, ſacræ militiæ inſignibus, a Nicolao ritè procuratis, in Sacello Pontificio decoratum fuiſſe commemorat.

Trithem. in Chro. ſpanh.

Tantæ verò pietatis Nicolaus fuit, ut Gonzalus de Illeſcas, Platina, Manettus, & Philippus Bergomas de eo tradiderint, totum ferè Iubilei annum in celebritatibus conſumpſiſſe, & ſtationes quotidie cum Cardinalium cœtu inviſiſſe.

Gonzal. Illeſcas, & alij ad an. 1450.

Contulit demum Nicolaus Iubilei gratiam ijs, qui diverſas ob cauſas præpediti, ſe Romam conferre non potuerant: extant namque eâ de re pleræque literæ ad

Nicol. V. Regeſt. litt. ſecr. lib. 7. pag. 6. 17. 76. 249. & 258. lib. 8.

pag. 86. & & 113. lib. 9. pag. 56. 63. 122. 142. 149 & 154. lib. 10 pag. 247. lib. 11. à pag. 164 ad 195. Platin. in vit, Nicol.

ad Ioannem Caſtellæ, & Legionis: ad Alphonſum Aragoniæ, & Siciliæ Reges, eorumque Reginas ad alios quoque Principes: nec-non Regnorum, & Provinciarum Præſules & populos. His, ut Platina commemorat, Pontifex certas leges præſcripſit, nempe religioſè perluſtrandi, vice Baſilicarum Vrbis, Eccleſias locorum ab Ordinarijs deſignandas.

Marti. Chromer lib. 22. rer. Polon. Matthias de Miech. li. 2. rer. Polonic.

Quin etiam Martinus Chromerus, & Miechovienſis teſtantur, Nicolaum ejuſmodi Iubilei theſaurum ad preces Cardinalis Sbignei Oleſnicij Poloni Epiſcopi Cracovienſis, in Regno Poloniæ, & Ducatu Lithuaniæ contuliſſe ijs, qui a menſe Decembri ad finem menſis Auguſti MCCCCLI. Cracovjæ, Gneſnæ, Leopoli, & Wilnæ præſtitutas ab Ordinarijs Eccleſias viſitarent.

Chronic. Sancti Franciſci par. 3. lib. 4. c. 21. 22. 37. & 57. lib. 6. c. 28.

Inſignem verò Chriſti-fidelium ad Vrbem concurſum, hoc ipſo Iubilei anno reddiderunt, ut apparet ex Chronicis S. Franciſci, præfati Sanctus Didacus, & Beatus Ioannes de Capiſtrano, nec-non Beati Franciſcus de Papiâ, Philippus de Aquilâ, Petrus de Regaladâ, Catharina de Bononiâ, Gabriel de Anconâ, & Iacobus de Marchiâ.

C A-

CAPVT VII.

De Anno MCCCCLXXV. *Iubilei theſauris inſignito per Paulum II. ad* XXV. *annum reductione decretâ, & de eodem Iubileo a Sixto IV. celebrato.*

PAvlvs II. uti diximus, cognoſcens fallaces, & incertos temporis curſus, breveſque humanæ vitæ periodos ad extremum diem, & caducitate propriâ, & mobilitate temporis properantis expendens; ita-ut admodùm pauci indulgentiarum fructibus, & Iubilei theſauris pro anguſtijs vivendi, & ſpatijs frvi valerent, cùm ad quinquageſimum vitæ annum vitam protrahere paucorum ſit, quolibet vigeſimoquinto anno Iubileum de Cardinalium aſſenſu celebrandum fore conſtituit, & Annum MCCCCLXXV. Iubileum indixit, ac euulgavit, quem menſe Iulio anni MCCCCLXXI. Paulo II. ad ſuperos evocato, Sixtus IV. confirmatâ Prædeceſſoris Decretali, ſuâ mox Conſtitutione celebravit, ineunte anno MCCCCLXXV. Quamobrem Auctores non defuere, inter quos Genebrardus, Volaterranus, Stephanus Vinandus Pighius, Petrus Creſpetius, Bucholcerus, Gualterius, & Turſellinus, qui Sixtum IV. reductorem anni Iubilei ad vigeſimum quintum quemque annum crediderint, & aſſeruerint; ij tamen intelligendi ſunt quò-ad executionem, non quò-ad ordinationem ejuſmodi reductionis.

Paul. II. lit. dat. 13. Kal. Maij ann. Incarnationis 1470. Pont. 6.

Sixt. IV Conſtitut. dat. 9. Auguſt. 1471 Pont. 3.

Steph. Vinād. Pigh. in Herc. Petr. Creſpet. in Sum. fid. Chriſt. lib 22. Alij ad ann. 1475.

Pauci verò, ob imminentium bellorum ſuſpicionem, ac formidinem, ad Vrbem profecti ſunt; ſed inter exiguum peregrinorum numerum, inſignis extitit

S Fer-

Digitized by Google

Ferdinandi Regis Siciliæ ad limina Apoſtolorum luſtranda Romam adventus, ut annotavit Stephanus Infiſſura, quem ſecuti ſunt Gonzalus de Illeſcas, Ciaconius, Turſellinus, & Panvinius. VI. autem Ianuarij die idem Stephanus Infiſſura in Vrbem Ferdinandum ingreſſum fuiſſe aſſerit: obſervatque unâ ſecum duxiſſe plurimos Barones, ac Nobiles cum magnâ vi accipitrum, a quibus omnes in agro Romano milvos occiſos fuiſſe affirmat.

Steph. Infiſſ. Diar. & alij ad an. 1475.

Ad Vrbem pariter eo anno adventus contigit Carolæ olim Cypri Reginæ, de quâ Boſſius; & Catharinæ Reginæ Boſsinæ fortunis orbatæ, quam uti conſtat veniſſe Romam, ita ambiguum eſt, utrùm ad ſacra Apoſtolorum limina, vel ad patrocinium Apoſtolicæ Sedis confugerit. Viſitur in Eccleſiâ Ara-cælitanâ Vrbis ſepulchralis lapis ejuſdem Reginæ Romæ defunctæ anno MCCCCLXXVIII. Præterea Chriſtiernum pientiſsimum Daniæ, Sueciæ, & Norvegiæ, nec-non Vallachiæ, & Boſsinæ Reges: duos item Duces Saxoniæ, ac Calabriæ in Vrbem veniſſe, in Ædibus Pontificijs, magnificentiſsimis ſumptibus, exceptos, tradunt Volaterranus, Turſellinus, Gonzalus de Illeſcas, Tarcagnota, & Antonius Bonfinius. Verùm-tamen Ciaconius aſſeruit, rariſsimos ad Vrbem ex Galliâ, Burgundiâ, Germaniâ, Hungariâ, Poloniâ, & Hiſpaniâ, ſævientibus bellis, Romam acceſsiſſe. Iulius autem Roſeus Scholiaſtes teſtatur de multitudine peregrinorum hoc anno ad Vrbem profectâ, & Gonzalus de Illeſcas Iubileum Sixti cum magnâ ſolemnitate, & cum infinito populorum concurſu celebratum perhibet. Nihilominùs verum eſt, non tam frequentem peregrinorum copiam hoc anno perinde ac præteritis Iubilei annis ad Vrbem confluxiſſe, ſi fidem Diarijs, & gravioribus Hiſtoricis adhibeamus; majorem tamen, quàm

Boſſ. hiſt. Equit. Hieroſolym. par. 2.

Volaterr. Turſell. Gonzal. Tarcagn. Bonfin. ann. 1475. Ciacon. in vit. Sixti IV.

Roſeus in lib. Card. Steph. de conteſ. c. 5. Gonzal hiſt. Pontif. lib 6. par. 2. c. 18.

quàm Ciaconius aſſeruit concurſum fuiſſe ex *iiſdem* appâret.

Vt verò Apoſtolicâ benevolentiâ cæteris Chriſtifidelibus Sixtus æquè conſuleret, Bononiæ Iubileum inſtituit a Kalendis Maij ad pridie Kalendas ſequentis anni duraturum. Motus deinde ſupplicationibus Scotorum, ijs injunctâ tamen aliquâ pecuniæ largitione, quæ in rei Chriſtianæ uſum adversùs immanes Turcas impenderetur, Iubileum conceſſit. Præterea Regi, & Reginæ Caſtellæ, Ducibus, & Baronibus ejuſdem proſapiæ, eorumque filijs plenam noxarum veniam impertijt, ſi a primis Veſperis Kalendis Decembris proximè tunc futuri ad octavam Paſchatis certas quaſdam Eccleſias viſitarent, ac in ſubſidium Cruciatæ, & fidei exaltationem, ter ſeptem Pſalmos pœnitentiales cum Litanijs majoribus, nec-non ſexagies Orationem Dominicam, ac Salutationem Angelicam: Rex verò, ac Regina vicies tantùm, filij autem quindecies recitarent.

Lit. ſecret. lib. 23. pag. 1.

Eod. lib. 23. lit. ſecr. pag. 42.

Sixt. V. Conſt. paſtoris æterni.

Sixtus ad peregrinorum præcipuè commoditatem Pontem, ſuo nomine Sixtum appellatum, olim verò Ianiculum dictum, reſtituit, ut conſtat Numiſmate, quod ex unâ parte ejuſdem Pontificis exhibet effigiem, hiſce verbis ambîtam: SIXTVS IV. PONT. MAX. SACRI CVLTOR. ex alterâ Pontem oſtendit, cum literis: CVRA RERVM PVBLICARVM.

Paulò ante omnium quidem primus Romanorum Pontificum (ut frequentior ad Vrbem concurſus fieret) quaſcumque in formâ Iubilei indulgentias, etiam ad preces quorumcumque Principum conceſſas, præterquàm Baſilicas, & Eccleſias Vrbis viſitantibus, ad beneplacitum ſuſpenderat.

Extravag. Quemadmodum & ſi Dominico de pœnit. & remiſ.

Plerique magnam frumenti vim, anno Iubilei non modico pretio diſtrahendam putantes, Romam lucri

Sigonius de Epiſc. Bonon. lib. 4.

gratiâ adduxerunt; ſecus tamen evênit. non eâ etenim, quam crediderant, frequentiâ, peregrini ad limina Apoſtolorum viſenda confluxerunt,bellis,ut ſupra obſervavimus, ferè in universâ Europâ flagrantibus, & in pleriſque locis peſte graſſante impediti.

Samuel Nakielſki in Miechovia ann. 1475.

Tyber menſe Novembris (quemadmodùm Ludovicus Aurelius refert) adeò intumuit, ut Baſilicam Divi Pauli Iubileum adipiſcendi ſtudio adeuntes, tumentem alluvionibus fluvium cymbis traijcere coacti fuerint.

Ludov. Aurel. Epit. Annal. ex Bzou.

Cæterùm quia ad hæc uſque tempora, pauciſſima erant Mss. fragmenta ex annotatis per Pontificios Cęremoniarum Magiſtros; propterea hactenus recenſita ex ijs, quæ Hiſtorici memoriæ commendarunt, excerpere neceſſe fuit. Horum deinceps teſtimonijs rarò utemur: & noſtram Narrationem ex eorumdem Magiſtrorum Cæremoniarum ſcriptis (*Diaria* vocant) plerùmque deſumptam proſequemur.

CA-

CAPVT VIII.

De Anno Iubilei MD. *ab Alexandro VI. indicto, & celebrato cum ſolemnijs Apertionis, & Clauſuræ Portæ Sanctæ.*

ALEXANDER VI. Iubilei celebritatem ſecularis anni, a Bonifacio reſtauratam, ſive inſtitutam, approbavit, & annum MD. Iubileo ſacrum Diplomate, præcedenti anno MCCCCXCIX. edito indixit: illudque unâ-cum altero, quo plenarias indulgentias extra Vrbem conceſſas ad arbitrium ſuſpenderat, immediatè ante Bullam in Cœnâ Domini, ac eodem prorſus ritu, è proſpectu Baſilicæ Vaticanæ, ipſo Pontifice, & Cardinalibus adſtantibus, per Subdiaconum Apoſtolicum evulgari præcepit. In eâ Conſtitutione ſacri Iubilei celebrationem, ad ejuſdem anni Natalitia feſta inchoandam, Pontifex auſpicatus; alijs literis Portam Auream Baſilicæ Vaticanæ ſuis manibus reſeraturum: ſimiles verò aliarum Baſilicarum Portas aperiendi munus per Legatos a ſe deſignandos obeundum fore, declaravit.

Extravag. Quemadmodum, de pænit. & remiſſ.

Vt autem ad ſacra Apoſtolorum limina viſenda Chriſti-fideles magis inflammarentur, ac libentiùs, & tutiùs viarum ſecuritate ad Vrbem properarent, euulgatis in eam rem literis, magnam curam, multamque operam Alexander adhibuit.

Lit. incip. Inter cætera in arch. B

Præterea iuſſit Pœnitentiarijs Baſilicæ Vaticanæ, ut factâ inter ſe conſultatione, ipſum monerent, quâ facultate donari cuperent, ad pœnitentes abſolvendos

a ca-

a caſibus reſervatis: eoſque Sanctitati ſuæ ſingillatim exponerent. Ex illis aliqui ſelecti; tùm ad eos tollendos Pœnitentiarijs poteſtate factâ: nominatim recenſiti, ac in cartâ ad Baſilicarum valvas die XXII. Decembris evulgati. In eâ ſiquidem legebatur, Confeſſarijs a Pontifice concedi facultatem abſolvendi a quocumque caſu reſervato, etiam in Bullâ Cœnæ Domini contento, præterquàm conſpirationis in Perſonam Papæ, & in S. Romanam Eccleſiam: falſationis quarumcumque literarum Apoſtolicarum: delationis armorum ad infideles: & immiſſionis manuum violentarum in Cardinales, Epiſcopos, alioſque Præſules, & Superiores Eccleſiaſticos. Paucis verò interjectis diebus, nempe ſub finem menſis Ianuarij ijſdem Pœnitentiarijs facultatem addidit, commutandi, vel minuendi præfixum numerum viſitationum Baſilicarum Vrbis; modò exteri divites quartam, Vrbis autem incolæ octavam illius ſumptûs partem, quem facturi erant, ſi juſti dies complerentur, & ijs diminutis ſuperesset, pro eleemoſynâ in commune conferrent, & in Arculâ Vaticanâ pro ſumptibus inſtructâ reponerent: pauperes verò Parochialem, ſeu alias Vrbis Eccleſias viſitarent, vel alia pia injuncta opera explerent.

Inter alias lit. dat. mēſ. Februar. anne 1500.

Cardinales inſuper admonuit, ne eodem anno Româ diſcederent; abſentes verò ad eam redirent, ut teſtatur Petrus Delphinus in Epiſtolâ ad Franciſcum Cardinalem Senenſem, quâ ipſum de ejuſmodi Pontificis ſenſu certiorem reddidit.

Pet. Delphin. lib. 6. epiſt. 1. dat. ex Camaldulo die 10. Auguſt. 1499.

Quò autem in promptu eſſent ea omnia, quæ ad Iubilei ſolemnitatem celebrandam erant idonea, Alexander ſedulò mandavit: & ipſemet ad Atrium Baſilicæ Vaticanæ deſcêndit, ut locum intueretur, in quo quidam ſeniores ejuſdem Baſilicæ Canonici Portam

Au-

Auream elapſo Iubilei anno obſtructam aſſerebant. Quòd verò nullum ibi antiquæ Portæ ſignum apparêret (perforato enim pariete, eidem hærens Altare repertum eſt, Beatiſsimæ Virgini ad Præſepe a Ioanne VII. ſub initium VIII. ſeculi erectum) novam Portam conſtrui, ornarique Burchardo a Pontifice demandatum. Quàmvis prope angulum ſiniſtrum veteris Baſilicæ proſpectûs, gradibus Epiſcopij proximum (ut conſtat graphicâ deſcriptione ſtudio Tiberij Alfarani impreſsâ anno MDXC.) pateret Porta olim Sancta appellata. Eam Iubilei anno reſerari, & obſtrui conſuetam teſtatur Ioannes Severanus, & quidem admodùm anguſtam ad Portæ Paradiſi figuram: de quâ S.Matthæus:*Intrate per anguſtam portam,quia lata porta,& ſpatioſa via eſt,quæ ducit ad perditionem: quàm anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam*. Vrget itaque S.Lucas: *Contendite intrare per anguſtam portam*.Verùm quòd ex irrumpentibus in eam aliquos interdum ſuffocari contigiſſet ,ut illa quo-ad ejuſmodi uſum in deſuetudinem abiret, in fine Iubilei eam obſtrui prætermiſſum fuit. Idque ex voto evênit, cùm demum Canonici Alexandro VI. Pontifice eam aſsiduò patentem viſam, nullatenus ad Iubilei ritum pertinere arbitrarentur, ac proinde aliam prope obſtructam, ut ſupra narravimus, haberi crediderint.

Burchard. in Diar. ad an. 1449.
Tiber. Alfaran. graph. deſcrip. num. 114.
Idem n. 113.
Io. Severan. de ſept. Vrb. Eccleſ. pag. 69.
Matth. c. 7. n. 13. & 14.
Luc. c. 13. n. 24.

Interim in Conſiſtorio ſecreto Alexander Iubileum proximo anno celebrandum auſpicatus, illud Dominicâ IV. Adventûs in Portâ Palatij principe, per duos Cubicularios Latino, & Italo idiomate euulgari imperavit. Idque actum, dum Pro-Camerarius, cæterique Cameræ Præſidentes, mulabus,vti ſolemne erat, conſidentes aderant. Sed quia ritum in Portæ Sanctæ apertione, & clauſurâ ſervatum, & mox in auguſtiorem formam redactum,pijs Lectoribus haud injucundum

dum

dum,reſcire putavimus; illum propterea deſcribere, prout idonea ſe dabit occaſio, opportunum duximus.

In Nativitatis pervigilio, quod per triduum Capitolij,& Eccleſiarum Vrbis campanarum ſonitus præceſserat, dum Pontifex ſacris veſtibus induebatur in Aulâ,uulgò *Paramentorum*(verbis ritualibus,ac ephemeridum,ad majorem rei geſtæ expreſsionem ut plurimùm utimur) cerei per Cæremoniarum Magiſtros Cardinalibus,& Prelatis diſtributi ſunt. Tùm ſolemnis ſupplicatio ad Vaticanæ Baſilicæ atrium inſtitui cœpta,quam Pontifex thiarâ redimitus, & ſellâ eminens ſub umbellâ coronabat. Vbi ventum eſt ad Portam auream,è ſellâ deſcêndit, & Archiepiſcopum Raguſinum Prælatum domeſticum ad S.Pauli, & Cardinales Vlixiponenſem, & Vrſinum ad Lateranenſem, ac Liberianam Portas aureas aperiendas deſignavit.Cùmque hi diſceſsiſſent, Cantores modulatè percurrerunt pſalmum *Iubilate*. Eoque abſoluto Pontifex cecinit:

℣. *Aperite mihi portas juſtitiæ.*
℟. *Ingreſſus in eas confitebor Domino.*
℣. *Hac eſt Porta Domini.*
℟. *Iuſti intrabunt in eam.*
℣. *Introibo in domum tuam Domine.*
℟. *Adorabo ad Templum ſanctum tuum in timore tuo.*
℣. *Hac dies, quam fecit Dominus.*
℟. *Exultemus, & lætemur in eâ.*
℣. *Aperite mihi Portas Iuſtitiæ.*
℟. *Ingreſſus in eas confitebor Domino.*
℣. *Hæc Porta Domini: Iuſti intrabunt in eam.*
℟. *Introite in conſpectu ejus in exultatione.*
℣. *Domine exaudi &c.* ℣. *Dominus vobiſcum &c.*

Deus, qui per Moyſen famulum tuum populo Iſraëlitico quinquageſimum annum remiſsionis,& Iubilei inſtituiſti; concede propitius nobis famulis tuis Iubileum centeſimum

tuâ

tuâ auctoritate inſtitutum, quo hanc Portam populo contrito aperiri voluiſti, feliciter inchoare, & in eo veniâ plenæ indulgentiæ, & remiſſionis omnium delictorum obtentâ, cùm dies vocationis advenerit, incredibili gloriâ, & perenni felicitate perfruamur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

℟. *Amen.*

Tunc Summus Pontifex, mitrâ redimîtus, ad Portam Auream propiùs acceſſit, eamque ferreo malleo, trino viriliter ictu percuſſit, quo corruit; redijt ſubinde ad ſolium, ibique ſedit, donec cæmentarij lateres, & cæmentum abjeciſſent, Portæque limen ſcopis mundaſſent. Tùm iterum ad Portam redijt, ſuper cujus limine genuflexus, ſiniſtrâ cereum tenens, breves, ſed pias fudit orationes. Mox ſurgens, ſuſtinentibus fimbrias duobus Cæremoniarum Magiſtris, pedibus Baſilicam ingreſſus eſt. Pontificem immediatè ſecuti ſunt Subdiaconus Crucem præferens, Cardinales, Epiſcopi, Pœnitentiarij, & cæteri, qui aderant. Pontifex verò apud Altare Sanctiſſimi Sacramenti in genua provolutus, ſummo pietatis ſenſu preces habuit: factoque orandi fine, ad Aram Templi principem eminenti ſede delatus eſt: ubi genuflexus ſuper Faldiſtorium, pauliſper oravit: poſtea ſurgens, ſtans præcinuit,

Pater noſter.

℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*

℟. *Sed libera &c.*

℣. *Dominus vobiſcum.*

℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

Actiones noſtras quæſumus Domine &c.

His expletis, Pontifex, reſumptâ mitrâ, paratum ſibi eminentiori loco Solium conſcêndit, & delatum

Digitized by Google

Sanctitati Suæ conſueto ritu excepit obedientiæ obſequium, ac Veſperarum ſolemnia Pontificali pompâ peregit: ijſque abſolutis per Portam majorem Baſilicæ ad aulam *Paramentorum* redijt.

Injunctum fuerat Cantoribus, ut cùm Summus Pontifex Portam Auream ingrederetur, inchoarent Hymnum *Te Deum laudamus*, eumque in progreſſu ipſius Pontificis ad Sacellum Sanctiſſimi Sacramenti proſequerentur; eoque finito Sanctitas Sua ſupradictas preces erat cantaturus. Cantorum tamen incuriâ, ejuſdem Hymni cantus omiſſus eſt.

Quatuor religioſos viros Pontifex delegit, qui cum Canonicis diu, noctuque alternis Baſilicam perluſtrarent, ne quid in eâ inhoneſtum, vel minùs religioſum perpetrari contingeret; quod & in alijs Baſilicis fieri, & obſervari præcepit.

Ipſo autem die Dominicæ Nativitati ſacro, adeò copioſa exterorum multitudo Baſilicam Vaticanam petere viſa eſt, Vultum Sanctum viſendi, & venerandi causâ, ut oportuerit, illum etiam ante Miſſarum ſolemnia oſtendi, ne Pontifici via ad rem ſacram peragendam multitudine præcluderetur. Idque a Sacro iterari, & quâlibet Dominicâ anni Iubilei repeti imperavit, ut numeroſo peregrinorum confluxui, ac piæ devotioni ſatisfieret.

Fr. Iacobus Philipp. Bergom. Chron. Franc. Sanſovin. in ſupplem. Chron.

Thrith. Chro. Speh. Marian. hiſt. rer. Hiſp. Samuel in Miech. claſ. 2

Licèt autem Iacobus Philippus Bergomas, & Franciſcus Sanſovinus hoc anno, eò quòd bella per Italiam exardeſcerent, & peſtis graſſaretur, non ut antea, tam frequentem ad Vrbem exterorum concurſum fuiſſe aſſerant; tamen ſecus affirmant non modò Itali, verùm & cæterarum nationum Scriptores, inter quos Samuel Nakielski ex Miechovienſi, qui ad Iubileum conſequendum Romam eo anno conuenerat, hæc tradit: *Sequitur annus* MD. *celebritate Iubilei inſi-*

gnis

gnis: quo tempore magnam multitudinem hominum Romam confluxiſſe ex toto Orbe Chriſtiano narrat noſter Miechovienſis, qui etiam eidem Iubileo interfuiſſe ſcribit. Idem comprobat Hubertus Velleſius, referens tantum univerſæ gentis affluxum ad Vrbem fuiſſe, ut ab eâ, quæ magnitudine Orbi par fuit, vix caperetur; quinimò nec tantam populi colluvionem ferre communem Patriam potuiſſe ſubdit, niſi Sfortia ex Germaniâ reparato exercitu Inſubres violentâ manu invaſiſſet, totamque Italiam terruiſſet. Ciaconius pariter hunc Iubilei annum celebratum fuiſſe, magno populi ex toto terrarum Orbe ad limina Apoſtolorum Romam confluentis concurſu: idemque Guicciardinus, Lezana, alijque, immo & ipſe Alexander in literis facultatum ab eo tributarum Pœnitentiarijs, aſſerunt. Ex externis autem Magnatibus eodem Iubilei anno Sethzo de Tamrlaca, Baronem Palatinum Cracoviæ, Romam veniſſe legimus in Burchardo.

Hubert. Velleſ in appēd. ad annal. Robert. Gavagn.

Ciac. de vit. Pont. in Alexandro.

Guicciard. hiſt.

Lez. Annal. Carmel. to. 4.

Alex. VI. lit. dat. 4. Non. Martij 1499

Burchard. ad an. 1500.

Die xv. Februarij viſa fuerunt ad Vrbis Portas affixa edicta, quibus Communitates Civitatum, aliorumque locorum Apoſtolicæ ditionis Alexander obligari a ſe velle declaravit, ad reficienda ea omnia damna, quæ peregrinis, alijſque perſonis per vias earum Territorij inferrentur.

Poſt abſoluta feriæ iv. Cinerum ſolemnia, Cæremoniarum Magiſtris, Cantoribus, alijſque Pontificiæ Capellæ Miniſtris Pontifex facultatem tribuit, quoſcumque approbatos Confeſſarios eligendi, per quos a quolibet caſu reſervato, nullo quidem excepto, abſolvi poſſent: Baſilicas veró ter viſitantes Iubilei theſaurum lucrifacerent.

Per id tempus Alexander indutus amictu, albâ, cingulo, ſtolâ, & capuccino (tunc moris erat Summorum Pontificum illum adhibere) præcedente Cruce

T 2 vnâ-

Digitized by Google

vnâ-cum Cardinalibus ad quatuor Eccleſias ſolemni pompâ equitavit. Ibi cunctis Cardinalium, & Prælatorum familiaribus, qui Sanctitatem Suam comitati fuerant, pleniſſimam Iubilei indulgentiam benignè elargitus, eamdem impertivit ſingulis Eccleſiarum Vrbis Capitulis, ſi ſolemni ſupplicatione præſtitutas Baſilicas ſemel viſitarent: Sodalitatibus verò S. Laurentij in Damaſo, S.Mariæ in Porticu, & S.Auguſtini, ſi unicâ vice cum ſacris Beatiſſimæ Virginis Iconibus in earum Eccleſijs aſſervatis, ſupplicabundæ ad Baſilicam Vaticanam procederent.

Inter hæc, Alexander ſummum vitæ diſcrimen ſubijt, eventu memoriæ quidem commendando. Verticoſus enim turbo ingentem camini molem præcipitem jecit ſupra contignationes cubiculi, in quo Pontifex ſub umbellâ ſedens, Cardinalem Capuanum, & Gaſparem intimum Cubicularium a prandio alloquebatur. Hi ipſo eodem tempore, quo tecta ruebant, ne trucis venti impetu vitreæ feneſtræ reſerarentur, ad eas validiùs claudendas, ac vectibus firmandas ſe contulerant. Tùm moles è camino decuſſa, vehementi ictu, laquearis trabem diffregit, ipſumque laqueare in præceps dedit. Cardinalis, & Cubicularius intra concameratæ feneſtræ latera ruinam evaſerunt. Altera autem trabis pars parieti, cui umbella, & ſella Pontificis hærebant, infixa, ruentis ponderis ictum firmiter ſuſtinuit, & ne deorſum tenderet impedivit: atque adeò Pontificem tutata eſt, ne ruinâ ipsâ ſepeliretur. Non tamen fieri potuit, quin Alexander pene exanimatus læderetur. Curatis exinde uulneribus, ad Eccleſiam S.Mariæ de Populo ſupplicabundus equitavit: ibique de evitato diſcrimine, & confirmatâ valetudine gratias ritu ſolemni Deo egit. Præterea tum in memoriam accepti beneficij, tum ad divi-

Digitized by Google

divinam opem contra Turcas implorandam, pium morem, ut meridie Campanæ pulſarentur, quo Chriſti-fideles ad Salutationem Angelicam recitandam excitarentur, a Calliſto III. inſtitutum, inſtauravit.

Recurrente feſto omnium Sanctorum, Miſſarum ſolemnijs de more in Pontificio Sacello ab Epiſcopo Cardinali peractis (ijs ſtans in ſolij gradibus iuxta Papæ thronum interfuit quidam Dux de Sagamine, & Volamine Dalmata annorum nonaginta unius, Romam ad conſequendum Iubileum profectus) Pontifex ad Baſilicæ Vaticanæ Porticum delatus eſt, ibique ſolemniter benedictionem, cum largitione pleniſſimæ remiſſionis Iubilei, circumſtanti populo impertivit: idque per Edicta, ad præcipua Vrbis loca affixa præcedentibus diebus euulgari præceperat. Interim Tyber adeò intumuit, ut Cardinalibus vetitum fuerit Palatium Apoſtolicum adire, quò conſuetis defunctorum Cardinalium ſuffragijs vacarent.

Demum cùm Pontifex articulari morbo graviùs laboraret, quàm ut clauſuræ Portæ Aureæ Vaticanę ſolemnia obire poſſet, Dominicâ IV. Adventûs Iubileum pro exteris tantùm uſque ad diem Epiphaniæ, editâ eâ de re Conſtitutione, prorogavit, idque per Edicta publicari præcepit. In pervigilio verò Epiphaniæ, adhuc pedibus minùs valens inſiſtere, cùm ſacris veſtibus indueretur Capellam Sixtinam petiturus, ut in eâ Veſperarum officium abſolveret, apud *Lectum Paramentorum* ſiſtens, Legatos ad claudendas Portas Aureas deſignavit: ad Vaticanam videlicèt, Cardinales Cuſentinum, & Mutinenſem, ad Lateranenſem Cardinalem Vlixiponenſem in locum Cardinalis S. Petri ad Vincula Archipresbyteri abſentis, ad Liberianã Cardinalem Vrſinum Archipresbyterum; ad claudendas verò Portas Sancti Pauli nemo ſelectus reperitur.

Alex. VI. Conſtit. incipien. Commiſſum dat. 17. kal. Ian. ann. 9.

Præ-

Prædicto die Epiphaniæ ſacro, Cardinales Legati Veſperis, quibus in eiſdem Baſilicis a Canonicis ſolemni more celebratis, interfuerant, abſolutis, ſupplicantes cum Capitulo, & Clero, ad Portam Auream proceſſerunt, ibique ſolemnijs earumdem Portarum clauſuræ præfuerunt: cùm interim cæmentarij, Canonicis hebdomadarijs inter hæc idoneas preces, & orationes canentibus, Portas obſtruerent.

Ritus verò, ab ijs ſeruatus, hic eſt. Præibat Crucifer: ſequebantur Beneficiati: mox Canonici, tùm Canonicus hebdomadarius, qui Veſperarum officia expleverat, pluviali indutus: demum Cardinalis Legatus proceſſionem claudebat, canentibus interim Cantoribus Hymnum *Hoſtis Herodes Deum*.

Cùmque ultimo loco Legatus è Portâ egreſſus eſſet, ſibi-met ipſi fimbrias capparum ſuſtinens; cæmentarij excitato pariete, Portas obſtruxerunt, Canonico hebdomadario ſequentes verſiculos, & preces interim accinente.

Pater noſter.
℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*
℟. *Sed libera nos a malo.*
℣. *Eſto nobis Domine turris fortitudinis.*
℟. *A facie inimici.*
℣. *Nihil proficiat inimicus in nobis.*
℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiſcum.*
℟: *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

Omnipotens ſempiterne Deus dirige actus noſtros in beneplacito tuo: ut in nomine dilecti filij tui mereamur bonis operibus abundare. Per Chriſtum &c. Actiones &c.

Sub

Sub finem anni Iubilei Alexander ejuſdem Iubilei indulgentias conceſſit ijs, qui ob peſtem, & bella Italiam (ut diximus) undequaque vexantia, ad ſacra Apoſtolorum limina luſtranda Romam adire formidaverant, aut alijs de cauſis nequiverant. Extant eâ de re plura Diplomata. Itaque delecti per Chriſtianum Orbem Pontificij Legati ad Iubileum promulgandum, & ſtipem colligendam, quæ in Chriſtianæ Reipublicæ bonum, ac Cruce-ſignati exercitûs expeditionem adversùs Turcas foret eroganda. Per univerſam verò Italiam Patribus Ordinis Minorum de Obſervantiâ literarum executio demandata: ſcilicèt ut ab unoquoque Iubilei præmia potituro quartam ejus ſumptûs partem exigerent, quam is conſumpturus erat, ſi ad Vrbem eaſdem indulgentias acquirendi gratiâ conveniſſet. Proptereà Nicolaus Baſelius hæc commemorans, ait: *Alexander Papa VI. Raimundum Card. S. Mariæ novæ Gurcenſem Epiſcopum cum gratiâ, & indulgentijs Iubilei in Germaniam*, *Daciam*, *Sueviam*, *& Pruſsiam Legatum a latere miſit*. Polydorus Virgilius inquit: *Miſit Alexander Nuncium in Angliã Gaſparem Bonſpagnolum ad diſpenſandos Iubilei theſauros*, & Samuel ipſis Cromeri verbis uſus, ita ſcribit: *Supervênit in Poloniam Gaſpar Callienſis Epiſcopus Legatus Alexandri VI. ad Turcicum bellum Regem Albertum cohortans, & piæ militiæ, quam Crucis, ſive Cruciatam vocant, facultatem ad id bellum ipſi pariter, & Hungaro Regi afferens ſimulque Iubileum*. Proinde Bucholcerus ſcripto reliquit: *Alexander VI hoc anno* (ſcilicèt MD.) *Romæ celebravit octauum Iubileum, & anno ſequenti per Legatos ſuos in Germaniam, atque alias longinquas Provincias diplomata cum ampliſsimis Iubilei indulgentijs miſit*.

Volater. antrhop. l. 22. Spondan ad ann. 1500. Ciac. in Alexand. VI.

Alexand. lit. dat 5. Id. Decemb 1500. Boſ. hiſt. Equ. Hier. p. 2. l. 15

Baſel. in addit. ad Naucl.

Pol Virg. hiſt. Angl. l. 26. in Henr. VII.

Sam. Nakielſ. in Miech. claſſ. 2.

Buchol. in Chron.

CA-

Digitized by Google

CAPVT IX.

De Anno Iubilei MDXXV. *per Clementem VII. indicto, & celebrato.*

ANNVS MDXXV. Iubileus accidit, lætus quidem ob ſolemnem fidelium expiationem a Clemente VII. ſummo Pontifice indictus, at lugubris adverſis eventibus, quos bellorum clades ex antiquâ inter Hiſpanos, & Gallos æmulatione peperit, quibus acceſſit hæreſis Lutheranæ impia rabies, & dira lues in Vrbis pene excidium comparata. Longè igitur minor, quàm retroactis Iubilei annis, advenarum concurſus, ad Apoſtolorum limina veneranda extitit, ut Blaſius de Cæſenâ in Diarijs narrat; quàmvis nihil ſtudij deeſſe potuiſſet ad Eccleſiarum nitórem, divinique cultûs majeſtatem, nihil ad Cleri reformationem, quibus exteri fideles ad ſacrum iter ſuſcipiendum traherentur, ad pietatem excitarentur: utpote Vrbis Vicarij munus tunc obiret Paulus Capiſuccus Epiſcopus Neocaſtrenſis, Ioannis Antonij Cardinalis Patruus, Vir literarum ſcientiâ, omniùmque virtutum ſplendore clariſſimus, quem nobili ortum proſapiâ Cardinalis Iacobus Sadoletus in ſuis Epiſtolis ſummis dignum honoribus commendat. Eodem genere exortus, ac ſtirpis claritudine germen eximium floret nunc Reverendiſſimus P. Raimundus Capiſuccus Magiſter S. Palatij, avitæ pietatis, ac doctrinæ mirificus æmulator.

Blaſ. de Caſena Diar. ad ann. 1525.

Vghell. Ital. ſac. tom. 9.

Iac. Sadolet. epiſt. 1. ad Paul. Sadolet.

Clemens itaque duobus Acolythis Iubilei publicandi provinciam commiſit, cùm Dominicâ IV. Adven-

ventûs præcedentis anni MDXXIV. ad Pontificium Sacellum ſacris de more aſtiturus contenderet. Hujuſmodi autem Iubilei indictionem ſimilibus literis antea non fuiſſe peractam, conſtat ex Diarijs ejuſdem Blaſij de Cæſenâ, & ex ipſis literis Indictionis, datis x. Kalendas Ianuarij anno MDXXV. Pontificatûs II. Acolythi injuncta præſtituri, illico ad januam Palatij principem deſcenderunt, ubi circumſedentibus Pontificiæ Domus Præfecto, alijſque Prælatis, & Papæ familiaribus cum tympanorum pulſu, & buccinarum clangore, appenſo ad alterum ex ambonibus originali Diplomate, ejus exemplaria altâ voce Latino, & Italico idiomate euulgarunt.

Idem Blaſ. de Cæſen. loc. citato.
Clem. VII. lit. inter ſolicitudines, & Paſtoris æterni dat. x. Kalend. Ianuar. Pont. 2.

Prædictæ Decretales literæ ejuſmodi Indictionis Iubilei celebritatem innovatam enunciant: Prædeceſſorum literas ſuper eâdem ſolemnitate editas confirmant: & plenarum indulgentiarum, ac quarumcumque facultatum abſolvendi a caſibus Apoſtolicæ Sedi reſervatis conceſſiones, ad Sanctę Sedis beneplacitum revocant. Subinde præter generalem largitionem pleniſſimæ remiſſionis viſitantibus de more Baſilicas Vrbis declarat ijs quoque Iubilei beneficium, & pręmium impertiri, qui legitimè impediti iter proſequi non potuerint, vel cum animo injuncta explendi, deceſſerint. Præterea poteſtatem applicandi Iubilei indulgentias per modum ſuffragij animabus in Purgatorio exiſtentibus illis tribuit, qui aliquam eleemoſynam, arbitrio Pœnitentiariorum injungendam, in pios uſus erogarent.

In pervigilio Nativitatis Domini, Clemens ad Aulam vulgò *Paramentorum* deſcêndit, ubi apud *Lectum* conſiſtens, accerſitis Cardinalibus, ſuos de latere Legatos ad aperiendas Portas Sanctas delegit, videlicèt ad Eccleſiam S. Pauli Cardinalem Antonium de

Monte Epiſcopum Portuenſem, Ordinis Caſinenſis Protectorem: ad Lateranenſem, Cardinalem Alexandrum Farneſium Archipresbyterum, Epiſcopum Hoſtienſem, Sacri Collegij Decanum; & ad Liberianam Cardinalem Andream de Valle pariter Archipresbyterum, quos ſigno Crucis ſuper eos producto, dimiſit. Deinde Pontificalibus veſtibus de more indutus, precedentibus Subdiacono Apoſtolico, Crucem elatam præferente, alijſque, ſacris & conſuetis indumentis amictis; ad Sixti IV. Sacellum, in quo, eo manè, Sanctitatis Suæ juſſu, auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum expoſitum fuerat, ſede delatus eſt. Ibi diſtributis per Cæremoniarios cereis, flexo poplite thus Sacramento adolevit: accepto verò è manibus dignioris Diaconi aſſiſtentis cereo accenſo, præcinuit Hymnum *Veni Creator Spiritus*; quem Cantores uſque ad Portam Auream proſecuti ſunt. Tùm Pontifex ſtans, cecinit ſequentes verſiculos cum oratione; cùm autem illi non ſint omnino conformes alijs ab Alexandro VI. elapſo Iubilei anno, adhibitis: idcirco eos hîc ſubnectere operæ pretium duximus.

℣. *Aperite mihi portas juſtitiæ.*
℟. *Ingreſſus in eas confitebor Domino.*
℣. *Introibo in domum tuam Domine.*
℟. *Adorabo ad Templum ſanctum tuum in timore tuo.*
℣. *Aperite Portas, quoniam nobiſcum Deus.*
℟. *Qui fecit virtutem in Iſrael.*

Inter hæc, ad quemlibet ſcilicèt verſiculum, Pontifex malleo argenteo Portam viriliter percuſſit, eaque tertio ictu rûit. Deinde ad Sedem eminentem contêndit, apud quam cecinit:

℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiſcum.*

Et

Digitized by Google

℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

Actiones noſtras &c.

Seditque Pontifex, dum Cantores Pſalmum *Iubilate Deo omnis terra* cecinerunt: eo autem expleto, ſurgens, dimiſsâ mitrâ, ſequentes verſiculos, & orationem elatâ voce recitavit.

℣. *Hæc dies, quam fecit Dominus.*

℟. *Exultemus, & lætemur in eâ.*

℣. *Beatus populus tuus Domine.*

℟. *Qui ſcit jubilationem.*

℣. *Hæc eſt porta Domini.*

℟. *Iuſti intrabunt in eam.*

℣. *Domine exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiſcum.*

℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

Deus qui per Moyſem famulum tuum &c.

Poſt hæc Pontifex dexterâ Crucem erectam, ſiniſtrâ cereum accenſum geſtans, ad Portam Auream rediјt, & ſuper ejus limine genuflexus, intonuit Hymnum: *Te Deum laudamus*. Deinde illam ingreſſus fuit, ſubſequentibus Cardinalibus, ac reliquis iuxta morem. Apud Altare auguſtiſſimi Sacramenti Papa preces effudit, & eminenti ſede ad aram maximam delatus, ibi Veſperarum ſolemnia pontificali ritu peregit; omiſſis tamen precibus præcedenti Iubilei anno repetitis: quippe quòd initio ſemel cantatæ, eas repetere ſupervacaneum viſum eſſet.

Præfatos verſiculos & preces, cum ritu aperiendæ Portæ Aureæ idem de Cæſenâ in decentiorem formam redegît; iique idcirco a Summis Pontificibus, ſubſequentibus Iubilei annis, religioſè ſunt adhibiti.

Abſolutis Veſperis,Pontifex vtrique Collegio militum S.Petri, & S.Pauli cuſtodiam Portæ Aureæ in Baſilicis Vaticanâ, & S. Pauli ex inſtitutione Alexandri VI.demandavit.

Ex eo autem quòd (ut prælibavimus) Gallias, & Hiſpanias dirè bellorum incendia urebant, Lutherana hæreſis in Germaniâ debacchabatur, & lues Italiam, ac Vrbem ipſam vexabat; plurimi fideles a ſacro itinere ſuſcipiendo deterriti ſunt. Clemens proinde animarum ſaluti providè, & religioſè conſulens, extêndit piacularem beneficentiam in pleroſque Principes, & Catholicos populos, qui Romanam peregrinationem obire formidaverant. Ipſis verò diebus Nativitatis, & Reſurrectionis Dominicæ in arâ maximâ Baſilicæ Vaticanæ ſacris operatus, in feſto Epiphaniæ, rei divinæ in eâdem Baſilicâ ab Epiſcopo Cardinali ſolemniter peractæ de more interfuit.

Regeſtr. lit. ſecr in form. Brevis anno 1500. pag. 290. 386. 483.

Sub finem menſis Aprilis Clemens ad Eccleſiam Lateranenſem cùm ſolemni equitatu contêndit: quod tamen non conſequendi Iubilei cauſâ egit, ſed ut ſemel præſtaret, quod initio Pontificatûs minimè expleverat, licèt anno MDXXIII. in Summum Pontificem renunciatus fuiſſet. Poſtea ad ædes Columnenſiũ ſe contulit, unde die primâ Maij eamdem Baſilicam viſitavit, ibique adfuit miſſæ, ſolemni pompâ celebratæ. Inter eam fœdus ab ipſo Pontifice initum cum Carolo V.Imperatore, Rege Angliæ, Archiduce Auſtriaco, Ducibus Mediolanenſi, & Mantuano, necnon Republicâ Florentinâ publicatum.

Recurrente feſto Apoſtolorum Petri, & Pauli Clemens in Baſilicâ Vaticanâ rem divinam ſolemni cęremoniâ peregit; & ipſo die, quo Sanctorum omnium celebritas recolitur, poſt miſsarum ſolemnia, quibus de more interfuerat, è proſpectu Baſilicæ Vaticanæ popu-

populo ſolemniter benedixit, eumque indulgentiæ plenariæ theſauro ditavit.

Poſt primas Veſperas Dominicæ Nativitatis Pontificali ritu in prædictâ Baſilicâ Vaticanâ recitatas, Pontifex, visâ Veronicâ, ſupplicabundus proceſſit ad Portam Auream, præintonatâ antiphonâ: *Cum jucunditate exibitis*: & cùm ad Portam, quâ ultimus omnium egreſſus eſt, perveniſſet, cæmentum, ſabulum, & primarium lapidem in ejuſdem Portæ obſtructione imponendum, benedixit, eumque in medio liminis collocavit, curâ clauſuræ perficiendæ Pœnitentiarijs, ac cæmentarijs dimiſsâ. Deinde populo benedictione, ac plenariâ indulgentiâ elargitâ, Anno Iubilei MDXXV. finem impoſuit.

Quos verò Legatos ad claudendas Portas Sanctas Clemens renunciaverit, Blaſius de Cæſenâ Cæremoniarum Magiſter omnino ſiluit, nec alibi reperire potuimus. Verùm facilis, tutaque eſt conjectura, eos ipſos fuiſſe, quos ad illas aperiendas idem Pontifex delegaverat, cùm id eorum muneris eſſet, & ſinguli adhuc viverent. Siquidem Antonius Cardinalis de Monte vixit uſque ad diem XIII. Kalendas Octobris anni MDXXXIV. Alexander Farneſius (qui Paulus III.) Pontifex renunciatus fuit, extincto Clemente eodem anno MDXXXIV. Andreas verò de Valle obijt pridie Idus Auguſti pariter prædicto anno: de quo, & illud hujus rei argumentum, extat Numiſma in clauſurâ Portarum Aurearum apponi conſuetum, quod nos vidimus ex unâ parte præſeferens Imaginem Religionis, habentis ſub manu dextrâ ad Cælum elatâ Portam Sanctam, cum hiſce verbis: PORTA AVREA. ſub ſiniſtrâ Arcam cum Calice ad Sacrificium compoſito, cum epigraphe: FIDES PVBLICA. ex aliâ effigiem Cardinalis cum literis ipſius nomen exprimentibus

Diar. eorund. ann.
Ciac. de vit. Pont.

cir-

circumdatam , nempe : ANDREAS CAR. DE VALLE AR. ANNO IVBILEI.

Preces, quas in ejuſmodi benedictione, & primarij lapidis impoſitione tum Clemens, tum reliqui pro tempore Pontifices poſtea adhibuerunt, hæ ſunt.

℣. *Adjutorium noſtrum in nomine Domini.*

℟. *Qui fecit Cælum, & terram.*

℣. *Sit nomen Domini benedictum.*

℟. *Ex hoc nunc, & uſque in ſeculum.*

℣. *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes.*

℟. *Hic factus eſt in caput anguli.*

℣. *Domine exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiſcum.*

℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

Summe Deus, qui ſumma, media, imaque cuſtodis, qui omnem creaturam intrinſecus ambiendo concludis, ſan✝cti-fica, & bene✝dic has creaturas lapidis, calcis, & ſabuli. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

Cùmque Pontifex mitrâ redimîtus, & genuflexus ſuper limine Portæ, cocleari accepto cum cæmento, illud in medio liminis, ac deſuper primarium lapidem impoſuiſſet, ſubmiſsâ voce, hæc proſecutus eſt.

In fide, & virtute IESV *Chriſti Filij tui vivi, qui Apoſtolorum Principi dixit: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, collocamus lapidem iſtum primarium ad claudendam hanc Portam Sanctam ſingulo Iubilei anno reſerandam. In nomine Pa✝tris, & Fi✝lij, & Spiritûs✝Sancti: Amen.*

Mox Cantores Hymnum: *Vrbs Hieruſalem beata* cecinerunt: & per id tempus Cardinales Sanctorum Quatuor, & Cybo cum coclearibus, ac demum Baſilicæ Pœnitentiarij clauſuram omnino perfecerunt.

Tùm

Tùm Pontifex lavit manus, & finito Hymno a Cantoribus, ſtans apud Sedem, cecinit.

℣. *Saluum fac populum tuum Domine.*

℟. *Et benedic hæreditati tuæ.*

℣. *Fiat miſericordia tua Domine ſuper nos.*

℟. *Quemadmodùm ſperavimus in te.*

℣. *Mitte eis Domine auxilium de ſancto.*

℟. *Et de Sion tuère eos.*

℣. *Domine exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiſcum.*

℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

Deus, qui in omni loco dominationis tuæ clemens, & benignus exauditor exiſtis; Exaudi nos quæſumus, & præſta, ut inviolabilis permaneat hujus loci ſanctificatio, & beneficia tui muneris in hoc Iubilei anno univerſitas fidelium impetraſſe lætetur. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

℟. *Amen.*

CAP.

Digitized by Google

CAPVT X.

De Anno Iubilei MDL. *a Paulo III. indicto, & a Iulio III. celebrato.*

PROXIMVM Iubilei annum MDL. celebraturus Paulus Tertius ea,quæ ad ejuſmodi ſolemnia opportuna videbantur, ſelectis aliquibus Cardinalibus, & gravioribus Curiæ Viris, inveſtigari, & decerni juſſit,ut ex ipſis ordinationum Capitibus inferiùs exprimendis patebit. Itaque feriâ quintâ majoris Hebdomadæ Anno MDXXXXIX. Bullâ Indictionis Iubilei a duobus Acolythis Capellæ Pontificiæ, immediatè ante publicationem Bullæ Cœnæ Domini prorſus eâdem ipſa ſerie, eâdemque modulatione ſervatis, è proſpectu Baſilicæ Vaticanæ, eomet Pontifice, Cardinalibus,& Prælatis, ac Officialibus conſuetis adſtantibus, euulgata fuerat. Nec longè erat dies Dominicæ quartæ Adventûs Domini, in quâ iteranda erat hujuſmodi publicatio; cùm die X. Novembris prædicti anni horâ XIII. in Exquilijs Pontifex naturæ debitum sôlvit; quamobrem ad diem octavam Februarij ſequentis anni protractâ Iulij III.electione, & die XXII. ejuſdem electi Pontificis coronatione celebratâ,Portarum Aurearum ſolemnia ad diem feſtum S.Matthiæ Apoſtoli dilata ſunt.

Paulian. de Iubil. &c. lib.1. pag.1. Turſell. l. 3. cap. 11. hiſt. Lauret,

Hiſque conſenſit Ioannes Baptiſta Paulianus illius ævi Scriptor aſſerens, Paulum III. edidiſſe Conſtitutionem indictionis Iubilei, at morte præventum, Iubilei annum celebrare nequiviſſe; Idque Turſellinus confirmat hiſce verbis: *Is* (nempe Paulus III.) *indictâ*

in

in annum quinquageſimum Iubilei celebritate, ipſe mortalitate exutus, ad vitam tranſijt immortalem, Iubilei curâ, ac laude Succeſſori relictâ.

Liquet tamen, aſſertioni noſtræ minimè adverſari ea, quæ Iulius expreſsit in ſuâ Conſtitutione: *Si Paſtores ovium*, quâ ſuſpendit quaſcumque indulgentias plenarias, ac facultates commutandi vota, & inſtituendi Confeſſarios cum poteſtate abſolvendi a caſibus Papæ reſervatis; licèt aliquibus non adeò clara, & certa viſa fuerint, quin dubium relinquant, an Paulus III. Bullam indictionis ediderit, ac euulgaverit; inquit enim: *Cùm autem Paulus III. adveniente præſenti anno literas Pauli, & Sixti de Fratrum ſuorum conſilio, de quorum numero tunc eramus, approbare, & innovare, & annum Iubilei hujuſmodi publicare intenderet, ſicut Domino placuit, rebus humanis fuerit exemptus*. Porrò hæc verba, non ad inchoationem, ſed ad perfectionem actûs omnino referenda ſunt, cùm is inchoatus quidem eſſet feriâ v. in Cœnâ Domini, morte verò Pontificis intercedente, nequaquàm perfici potuerit Dominicâ IV. Adventûs: itàque Iulius incompletum actum, quaſi non peractum optimè aſſeruit. Verùm quòd feriâ v. prædictâ inchoatus fuerit, certo certius eſt: Quamvis enim Firmanus, ſuſpenſo veluti gradu, calamum deduxerit, omiſsâ in Diarijs quarumdam celebritatum, ac præcipuè feriæ v. majoris hebdomadæ annotatione: hoc fortaſse egit, quòd ſibi ſatis ſuperque ad eam rem elucidandam viſum foret, ea deinde ſubijcere, quæ in ipsâ peragenda fuerant. Immò & quòd illa minimè prætermiſſa eſſent, clarè deduci poſſet, quòd Paulus tunc bonâ valetudine fruebatur; cùm pleriſque interea publicis & privatis Conſiſtorijs eum interfuiſſe commemoret, nempe a die VIII. Aprilis ad XIII. Auguſti. Aliàs abſurdum inde ſecutum fuiſſet, quòd ille annus Iubileus conſueto euulgationis ritu prorſus caruiſſet: cùm Iulij Conſti-

Iul. III. Coſt. Si Paſtores dat. 6. kal. Martij an. 1546. Pont 1

Io. Frãc Firman. in Diar.

X tutio

tutio data fuerit ipsâ die (nempe XXIV. Februarij) quâ apertionis Portarum ſolemnia idem Pontifex obivit.

Præterea editâ Conſtitutione Pœnitentiario majori pleraſque facultates Iulius attribuit: alterâ, hæreticos ad gremium S. Romanæ Eccleſiæ redire hortatus eſt, ut de Iubilei theſauris participes fierent: alterâ demum ſecundò Inſtitutum Societatis IESV approbavit. Eam inſigni quoque beneficio ditavit, nempe quòd non obſtantibus literis ſuſpenſionis facultatum abſolvendi a caſibus reſervatis, eo tamen Iubilei annò, Indulto Pauli III. uti poſſent, quemadmodùm Orlandinus his verbis teſtatur: *Cùm moris ſit toto Iubilei curriculo privilegiorum uſu cunctis Religionum Ordinibus interdicere, quibus Apoſtolica Sedis auctoritate fas eſt a retentis, reſervatiſq; peccatis confitentes abſolvere, Iulius III. Societati* IESV *voluit, ea, quæ conceſſa nuper eſſent a Paulo III. hoc quoque anno Iubilei ſalva, atque intacta ubique terrarum relinqui.*

Iul. III. Cõſt. dat. 8. kalẽd. Martij, & 3. kalend. Maij 1500.

Bullar. Rom. tom. 1.

Orlandin. l. 10. hiſtor. Societ. n. 4.

Tantâ verò benignitate Iulius III. proſecutus eſt Ignatium Loyolam, tunc inter vivos ſanctitate florentem, ut eidem flagitanti Iubileum pro Socijs in Indijs, Braſiliâ, & Congo degentibus ad votum reſponderit: *Quod attinet ad elargiendum Socijs veſtris abſentibus Iubileum, ita libenter annuimus, ut omnem noſtram in hac re poteſtatem cum Societate veſtrâ communicatam velimus, liceatque Socijs veſtris tanto a nobis intervallo disjunctis ex Eccleſiæ theſauris, et largiſsimis hujus anni condonationibus pleniſsimè gaudere, atque ad eas promerendas quidquid viſum fuerit, veſtro arbitratu eiſdem præſcribere.* Cùmque hoc eodem anno S. Ignatius Romæ in Societatem recepiſſet S. Franciſcum Borgiam Ducem Gandiæ, Pontifex ejus precibus benignè annuens, pleroſque Societatis amicos Meſſanę, Venetijs, Lutetiæ Pariſiorum, & in Germaniâ degentes, nec-non Salamanticæ Gandię Cives, Iubilei theſauro locupletavit.

Orlandin. loc. citat.

Per id tempus Romæ initium ſumpſerat ex fundatione

tione S. Philippi Nerij ab anno MDXLVIII. Venerabilis Sodalitas Sanctiſſimæ Trinitatis, ad Convaleſcentes, & Peregrinos quotannis, ac potiſſimúm Iubilei tempore, liberali hoſpitio ſuſcipiendos, erecta. Tantæ autem pietatis, ac Romanæ beneficentiæ opus quo-ad Peregrinorum hoſpitium, ut Baccius tradit, hoc ipſo Iubilei anno executioni demandari cæpit. *Bacc. in vit. S. Philippi l. 1. c. 7.*

Interim præfatus Pontifex, ut ea, quæ Paulus III. ad anni Iubilei celebritatem opportuna duxerat, ac peragi ſtatuerat, in praxim redigerentur, ſedulam operam, & curam adhibuit. Selegit enim aliquos inſignes doctrinâ, & probitate Viros, quorum examini ſubijcerentur Confeſſarij, ad audiendas confeſſiones in præcipuis potiſſimùm Vrbis Baſilicis approbandi.

His etiam ſub cenſuris vetuit, ne quid, vel minimum mercedis, aut munuſculi in confeſſionibus audiendis reciperent. Vt autem hæc debitæ traderentur executioni, Cardinali Io: Petro Caraſæ Epiſcopo Sabinenſi unâ-cum aliquibus Prælatis provincia demandata.

Statuit, concedendas eſſe indulgentias anni Iubilei omnibus in perpetuâ clauſurâ exiſtentibus, qui ſingulis diebus Dominicis ſupplicabundi intra clauſtra Litanias majores recitarent.

Cardinali Creſcentio curam dêdit, redigendi in ſcriptis facultates abſoluendi a caſibus reſervatis, Confeſſarijs tribuendas.

Aliquos probos, pioſque viros delêgit, qui ſemel, vel bis in hebdomadâ Vrbis Noſocomia præſertim nationalia luſtrarent, ut ad eorum relationem, pauperum Peregrinorum indigentijs Pontificio charitatis ſubſidio ſubveniri poſſet.

Alios quatuor Viros deſignavit, qui ſingulis diebus Eccleſias Vrbis inviſerent: & ne quid inhoneſtum in illis patrari contingeret, ſedulò invigilarent.

Magiſtris Cæremoniarum commiſit onus perluſtrandi ſingulas Vrbis Eccleſias Cardinalium Titulares; & Cardinalibus patefaciendi quicquid in illis ad ornatum, & ad rei divinæ operationem deeſſet: eoſdemque Cardinales admonendi, ut in ipſis Eccleſijs, Iubilei anno, diebus ſaltem Sanctorum Titularium natalitijs, & Stationum, ſacris myſterijs inibi intereſſent, vel ijs ſolemniter operarentur: & Vrbis Eccleſias, præcipuè Baſilicas devotè, ac piè viſitarent. Verùm ut exteri Chriſti-fideles, ad pietatem, & religionem magis excitarentur, Cardinales quotidie ſacram Eccleſiarum viſitationem obeuntes conſpiciendo; Cardinali Polo curam demandavit agendi cum Cardinalibus, ne omnes unâ die ad perluſtrandas eaſdem Baſilicas convenirent, neve alterâ die ex ipſis neminem ad eas pergere contigiſſet, ſed inter ſe ſingulos anni dies diſtribuerent.

Iuſſit, ut Vicarius Vrbis invigilaret, ne meretrices unâ-cum viris Eccleſias viſitarent, eoſque in illis colloquerentur; graviſſimis pœnis plectendæ, ſi teſtimonio duorũ bonæ famæ hominum convictæ parêre neglexiſſent: idq; per publicum proclama notificaretur.

Clericis, alijſque Beneficiatis, præſertim in ſacris Ordinibus conſtitutis, pariter per Edictum præciperetur, ut talaribus, & humilibus, non autem ſericis veſtibus induerentur. In Eccleſijs prophana, & quæcunque etiam minùs honeſtà colloquia ſub grauiſſimis pœnis prohiberentur. Pauperibus mendicantibus, ne per Eccleſias diſcurrerent, omnino vetaretur. Indulgentiæ quæſtuantibus conceſſæ ſuſpenderentur.

Vt Legatis, alijſque Præſidentibus, & Gubernatoribus Provinciarum, Civitatum, & locorum Ditionis Eccleſiaſticæ injungeretur, quòd vias publicas tutas a prædonibus cuſtodiri ſatagerent: præterea Peregri-

nos

nos in hoſpitijs benignè recipi, & eſculenta, ac poculenta præſertim a cauponibus juſto pretio vendi invigilarent. Hujus rei provinciâ Cardinali Sfondrato: Cardinali verò Creſcentio Vrbis vias complanandi, ac expediendi commiſſa.

Cardinali Vicario injunctum fuit: omnibus artificibus, præterquàm molendinarijs, piſtoribus, aromatarijs, & fabris ferrarijs, ſub gravioribus pœnis omnimodam, & inviolabilem feſtorum dierum obſervationem imponi. Ludos publicos omnino interdici. Nullo quoquam modo, vel prætextu peregrinos illudi. Hebræis ſub graviſſimis pœnis injungi, ne ſine conſuetis ſignis per Vrbem incederent, nec eorum cuiquam idem Vicarius permitteret per Vrbem abſque notâ impoſitâ curſitare. Cupedinarijs prohiberi, ne quid extra mœnia, ac in ipsâ Vrbe ante meridiem emerent. Sacerdotes ſacris operaturos, ab Eccleſiarũ Rectoribus, ſeu Sacriſtis ſeriò moneri, ne opus Dei negligenter, ſed eâ, quâ par eſt, devotione agerent.

Pœnitentiarijs facultas tributa eſt, abſolvendi a quibuſcumque caſibus reſervatis, exceptis tantùm conſpirationis in Perſonam, & Statum Summi Pontificis, & Apoſtolicæ Sedis, falſationis literarum Apoſtolicarum, ſupplicationum, & commiſſionum, delationis armorum ad infideles, injectionis manuum violentarum in Cardinales, Epiſcopos, alioſque Superiores Eccleſiaſticos: nec-non componendi ſuper malè ablatis incertis, vel ſuper eleemoſynis in ſuffragium animarum in Purgatorio exiſtentium erogatis.

Vt Portæ Aureæ diu noctuque Baſilicas viſitaturis patêrent. Eleemoſynarum Arculæ, in Baſilicis exponendæ, tribus ſaltem clavibus, apud totidem perſonas graves, & nobiles deponendis, munirentur.

Duobus Acolythis Apoſtolicis cura committere-

tur denunciandi Bullam indictionis Anni Iubilei, Latino; & Italo idiomate conceptam per particulas dividendam; prout ſolemne eſt in publicatione Bullæ Cœnæ Domini; eademque Indictionis Bulla typis traderetur, per univerſum Orbem euulganda.

Cardinalis Vicarius cogeret utrumque Vrbis Clerum, exceptis Capitulis, & Clero trium Baſilicarum, ac Monachis Caſinenſibus, ad interveniendum ſupplicationi, in acceſſu Pontificis ad aperiendam Portam Auream Vaticanam habendæ.

Summus Pontifex ſedens prope Portam Auream ante apertionis ſolemnia, tres Cardinales Legatos declararet, & illico ad aliarum Baſilicarum Portas aperiendas dimitteret.

Vt prima Bullæ Indictionis Iubilei promulgatio fieret feriâ v. in Cœnâ Domini coram Pontifice, Cardinalibus, & Prælatis, immediatè ante publicationem Bullæ Cœnę Domini per Subdiaconum Apoſtolicum Latino tantùm ſermone. Dominicâ verò IV. Adventûs, ſecunda peragеretur ejuſdem Bullæ Indictionis euulgatio a duobus, ut præfertur, Acolythis prope januam Palatij, ſequenti ritu. Summus Pontifex, abſolutâ miſsâ, & impertitâ benedictione, ſedens in Solio, Bullam acceptam è manibus Cardinalis Diaconi ſenioris Aſſiſtentis, antiquiori ex Acolythis ibi in genua provolutis traderet, adſtantibus Vice-Camerario, Auditore, & Præſidentibus Cameræ. Acolythi inde deſcenderent ad Portam majorem Palatij, prope quam ex ambonibus hinc inde ad hanc rem paratis, prævijs, ac ſubſequentibus tubarum clangore, & tympanorum ſonitu, præſentibus omnibus Prælatis familiaribus, & Officialibus Papæ, qui Miſſarum ſolemnijs interfuerint, eamdem Bullam Latino, & Italo idiomate euulgarent.

De-

Digitized by Google

Demum, ut in fronte Porticûs Vaticanæ ſuggeſtum, ſeu Solium (quod vocant) pro Sede Pontificiâ erigeretur, repagulis muniendum, ad arcendum populum; nec-non omnes Baſilicæ Portæ clauderentur.

Præterea ut in promptu eſſent ea omnia, quæ tantę celebritatis amplitudo expoſcebat, & ſuum quiſque munus ad eam peragendam opportunè, & ordinatè poſſet obire; nonnullæ Præmonitiones in ſcripta redactæ ſunt, ut Summo Pontifici, & Cardinalibus Legatis traderentur. Eas proinde ex Diarijs Ludovici Firmani excerptas hîc inſerere operæ pretium duximus. Quamvis enim ex ſuperiùs relatis id quidem ſuperfluum videatur; tamen ne quid ad hanc rem conducibile ex induſtriâ omittamus: idcirco eas referre, a noſtro propoſito minimè alienum, Lectoribus verò jucundum fore, arbitramur.

Apertionis Portæ Sanctæ ritus a Sanctiſsimo ſervandus.

IN pervigilio Nativitatis Domini noſtri IESV Chriſti, antequàm Papa deſcendat ad ſumenda ſacra indumenta, Reverendiſsimi Domini Cardinales, & omnes Prælati capient ſacras veſtes more conſueto. Præſtituto tempore, Sanctiſsimus deſcendit ad Cameram, uulgò *Paramentorum*, & accipit amictum, albam, cingulum, ſtolam, pluuiale albi coloris, phrygio elaboratum, & mitram pretioſam. Sacris indumentis amictus ante *Lectum* (quod dicunt) *Paramentorum*, omnibus Cardinalibus accerſitis, tres Legatos ad Portas Sanctas trium Baſilicarum aperiendas pronunciat, tradens illis opportunas facultates ad id peragendum, & ad plenariam Indulgentiam omnibus, qui huiuſ-

hujuſmodi apertionis ſolemnijs aderunt, concedendam. Omnibus ritè diſpoſitis, Pontifex Sedem geſtatoriam conſcendit, indeque ad Sacellum Sixti IV. defertur; ibi ſuper pulvinari ad gradus Altaris genuflexus, ante venerabile Sacramentum, copioſo luminum apparatu expoſitum, preces effundit. Interim per Cæremoniarum Magiſtros cerei Cardinalibus, & Prælatis diſtribuuntur. Ijs accenſis, Papa ſurgens, imponit thus in thuribulum ſine Crucis ſigni ſuper idem productione, & iterum genuflexus, Sacratiſsimæ Hoſtiæ adolet, eâque thurificatâ, intonat Hymnum: *Veni Creator Spiritus*, quem Cantores proſequuntur. Abſolutâ primâ ſtrophâ, Pontifex ſurgit, Sedem geſtatoriam conſcendit, & mitrâ capiti impoſitâ, acceptoque in ſiniſtrâ cereo, dextrâ populo benedicens, ad Portam Auream deducitur. Sub Porticu, ſedet in ſede ibi ſupra Solium excitatâ, & Cardinales pariter ſedent in ſcamnis conſuetis. Tunc accedunt ad Solium tres Legati, ad aperiendas Portas Baſilicarum deſignati, quibus Pontifex abeundi facultatem tradit. Interjecto poſtea modico temporis intervallo, ad Portam Auream deſcendit, prope quam è manu Cardinalis majoris Pœnitentiarij accipit malleum argenteum, & duobus Diaconis aſsiſtentibus pluuialis fimbrias elevantibus, cantat verſiculos: *Aperite mihi Portas Iuſtitiæ*, terque percutit viriliter Portam, quæ tertiò percuſſa ruit. Statimque Pontifex (dimiſſo malleo in manibus Cardinalis Pœnitentiarij, qui cum Pœnitentiarijs minoribus perficit opus, redit ad Solium, ubi depoſitâ mitrâ proſequitur in cantu ℣. *Domine exaudi*; cum Oratione, *Actiones noſtras*. Pœnitentiarij poſtquàm cæmentarij cæmentum inde abjecerint, ſpongijs aquâ ſanctâ madefactis lavant, ac linteis limen, & poſtes oſtij extergunt. Interim ſedente Pontifice

tifice cum mitrâ, Cantores concinunt Pſalmum *Iubilate*, quem repetunt, donec apertionis, & lotionis cæremonia perficiatur. Tunc Pontifex è Solio deſcendit, & apud Portam Sanctam, depoſitâ mitrâ, canit verſiculos: *Hac dies, quam fecit Dominus*; unâ-cum: *Deus, qui per Moyſen*. Demum acceptâ candelâ in ſiniſtrâ, ac dextrâ Crucem tenens, ſuper pulvinari in medio liminis appoſito, genuflectit, & intonat Hymnum: *Te Deum*, quem Cantores proſequuntur. Pontifex autem ſurgit, & primus omnium Eccleſiam ingreditur; ſeorſim verò ab ingreſſu Portæ ſedet in ſede ſibi paratâ, induit mitram, & ingreſſum Cardinalium, Prælatorum, omniumque Capellæ Pontificiæ Officialium præſtolatur. Deinde ſedem geſtatoriam conſcendit, quâ ad Sacellum Sanctiſſimi Sacramenti defertur, ibique genuflexus preces effundit; mox ſurgit, & canit orationem Dominicam cum verſiculis, *Et ne nos inducas*; ac orationem, *Actiones noſtras* (Hæ tamen preces licèt in Inſtructione appoſitæ, in ipsâ tamen actione conſultò omiſſæ ſunt, ne ſemel dictæ, ut ſupra retulimus, repeterentur). Exinde iterum ſedem conſcendit, cùmque pervenerit ad Aram maximam: ibi Veſperarum ſolemnia Pontificali ritu abſolvit; & per majorem Baſilicæ Portam ad Aulam uulgò *Paramentorum* redit.

Prælati, licèt ſacris induti, tamen non præſtant in Veſperis obedientiam Pontifici. Illo autem in craſtinum non celebraturo, ſtatim-ac Cardinales ad peragendarum Veſperarum locum pervenerint, ſacris veſtibus dimiſſis, induunt Cappas, & conſuetum obedientiæ obſequium exhibent.

Digitized by Google

Ordo ſervandus a Cardinalibus Legatis, in apertione Portarum aurearum, in tribus alijs Eccleſiis Patriarchalibus.

CArdinalis Legatus induit ſe amictu, albâ, cingulo, ſtolâ, pluviali, & mitrâ prætioſis; ſimiliter Canonici, Capellani, Cantores, & Clerici illius Baſilicæ iuxta ejuſdem ritum amiciuntur: mox præcedentibus Clericis, uno ſcilicèt cum thuribulo, & naviculâ, duobus cum candelabris, & candelis accenſis, & altero Crucem deferente (ſi fieri poteſt) proceſſionaliter Eccleſiâ exeunt, poſtquàm Cardinalis Legatus apud altare Sacrarij, unde diſceſſuri ſunt, depoſitâ mitrâ, intonuerit Hymnum: *Veni Creator Spiritus*, quem Cantores proſequuntur in viâ. Tunc enim Cardinalis aſſurgit, mitram induit, & poſt Clerum, & Capitulum ad Portam Auream procedit, candelam accenſam manu tenens, prout ſimiliter ſinguli Clerici, Beneficiati, & Canonici peragunt.

Ante Portam Sanctam Legatus ſe ſiſtit, & ſolus cum candelâ in ſiniſtrâ, & malleo in dextrâ, Canonicis hinc inde per alas adſtantibus, ex libro cantat verſus: *Aperite mihi Portas* &c. terque percutit malleo ad ſingulos verſus. Ad tertium ictum mallei Porta ruit, & Cardinalis ad Faldiſtorium ibi paratum pergit, dimiſſo malleo in manu ſenioris Canonici, qui cum Pœnitentiarijs apertionis opus perficit. Legatus apud Faldiſtorium ſtatim dimittit mitram; ſurgit, & digniori Canonico librum miniſtrante, canit ℣. *Domine exaudi orationem meam* &c. cum oratione: *Actiones noſtras*. Deinde ſedet, & Cantores canunt Pſalmum: *Iubilate*

Deo

Deo omnis terra; interim Pœnitentiarij, amoto a cæmentarijs cæmento, limen, ac poſtes oſtij ſpongijs aquâ ſanctâ madefactis lavant, & manutergijs extergunt.

Poſt hæc Legatus, depoſitâ mitrâ, ſtans apud Faldiſtorium candelam accenſam dexterâ tenens cantat verſiculos: *Hac dies quam fecit &c.* & orationem, *Deus qui per Moyſen* &c. His expletis, accedit ad Portam, in cujus limine genuflectit, & parvam Crucem, ei a digniori Canonico porrectam, oſculatur, & intonat Hymnum: *Te Deum laudamus*, quem Cantores proſequuntur; Legatus verò ſurgit, & Eccleſiam ingreditur, eum ſequentibus Canonicis, alijſque Choriſtis. Nemo autem ante Legatũ Portam ingredi audeat. Cardinalis prope Eccleſię ingreſſum ſiſtit, ac præeuntibus Clero, & Capitulo, ad Altare venerabilis Sacramenti procedit. Ibi preces genuflexus effundit, indeque pariter ſupplicabundus ad Aram maximam Baſilicæ ſe recipit, prope quam Veſperarum officium peragit. Ijs abſolutis, viſiſque, ſi libuerit, inſignioribus ſaltem reliquijs, ſolemnijs finem imponit.

Cur tamen prædictus Firmanus ritum, non omnino conformem ei, quem adhibet Summus Pontifex, Legatis præſcripſerit, ingenuè fatemur, nos ejuſdem diſparitatis rationem prorſus ignorare. Itaque putaremus, apertionis ritum inchoandum a Secretario, vel alio contiguo Eccleſiæ ornatiori Sacello, ubi Auguſtiſſimum Sacramentum expoſitum foret, ac inde per Plateam ad Portam auream procedendum eſſe: in reliquis pariter eumdem-met ritum, quo in apertione Portæ Aureæ Vaticanæ Summus Pontifex utitur, ad unguem omnino ſervandum fore. Verùm ad narrationis ſeriem redeamus.

Die igitur XXIV. Februarij Iulius III. manè ad Baſili-

ſilicam Vaticanam ſede delatus eſt,ubi primùm Ioannem Cardinalem Salviatum Epiſcopum Portuenſem, Caſinenſium Ordinis Protectorem,ad Portam S.Pauli: Ioannem Dominicum de Cupis Cardinalem Tranenſem Epiſcopum Oſtienſem, Archîpresbyterum,ad Portam Lateranenſem: & Aſcanium Sfortiam, Diaconum, S. R. E. Camerarium,Archipresbyterum, ad Portam Auream Liberianam, reſerandas Legatos de latere pronunciavit.Mox ijſdem Cardinalibus abeundi veniâ impertitâ, ipſis cæremonijs a Clemente VII. adhibitis, & ſupra recenſitis; Portam Sanctam aperuit: in eoque tantùm a Clementis ritu diſcrepavit, quòd cùm non veſperè, ſed manè apertionis ſolemnia Iulius peregiſſet, poſtea non Veſperis, ſed Miſſæ ſacro per Presbyterum Cardinalem peracto, interfuit. Quamobrem cùm primus omnium Baſilicam ingreſſus eſſet,& Solium è conſpectu Arę maximę elevatum conſcendiſſet; Cardinales ſacris veſtibus exuti, cappis rubeis reſumptis, conſuetam Papæ obedientiam præſtiterunt. Tanta autem, ac pene innumerabilis populi multitudo, ut ejuſmodi ſolemnijs intereſſet, ad Baſilicam Vaticanam convenerat, quòd vix Pontifici patêret aditus ad ea peragenda. Teſtatur id Ioannes Franciſcus Firmanus Cæremoniarum Magiſter, cui Onuphrius Panvinius, Surius,& Paruta conſentiunt. Hic exterarum gentium ad Vrbem concurſum ex eo plurimùm auctum aſſerit, quòd cuncti Catholicorum Regum, ac Principum Oratores Romam conveniſſent,ut obedientiam,ſub Pontificatûs initium Summis Pontificibus exhiberi ſolitam, multo apparatu, & magnificentiâ, Iulio, Pontifici nuper renunciato, redderent: prout Stephanum Armenorum Patriarcham pietatis, & religionis gratiâ peregiſſe commemorat.

Io. Frãc. Firman. Diar. ann. 1550. Panvin. ad eund. ann. Sur. in comment. hiſt. Parut. hiſtor. Venet, lib. 12

A di-

A dictâ die XXIV. Februarij, Pontifex articulari morbo correptus; ſacris per annum functionibus adeſſe nequivit: niſi fortè Ludovicus Branca (etiam Firmanus nuncupatus) alter Cæremoniarum Magiſter acta ipſa ſilentio præterijt; ſiquidem uſque ad IV. Dominicam Quadrageſimæ nullam prorſus celebritatem, cui Pontifex interfuerit, Ludovicus in Diarijs annotavit; ita enim ſcribit: *Die octavâ Martij, Dominicâ Lætare, Pontifex ab articulari morbo cubili affixus, benedixit Roſam auream in Aulâ audientiæ, eamque dono dedit Primogenito Regis Portugalliæ abſenti, per Oratorem Regis ad præfatum Principem tranſmittendam.* *Lud. Branca Diar. ad an. 1550.*

Subdit verò quædam ad Iubilei ſolemnitatem minimè ſpectantia, nempe quòd ipsâ eâdem die poſt Roſæ aureæ benedictionem Pontifex Crucem tradiderit Cardinali Creſcentio Legato de latere ad Concilium Tridentinum ablegando. Inde pergit ad narrationem apertionis Concilij in Civitate Tridentinâ factæ primâ Maij ſubſequentis anni MDLI. Poſt hæc recenſet dies, in quibus Pontifex hoc Iubilei anno populo ſolemniter benedixit, videlicèt feriæ quintæ in Cœna Domini; Paſchatis Reſurrectionis Domini, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Dominicæ Sanctiſſimæ Trinitatis, omnium Sanctorum, & Epiphaniæ ſubſequentis anni MDLI. Deinde retrogreſſus ad pervigilium Epiphaniæ, narrat, Iulium III. Veſperis conſueto ritu in Capellâ peractis interfuiſſe: ac inde ad Aulam *Paramentorum* redijſſe, & Cardinales Farneſium, de Salviatis, ac Sfortiam, ad clauſuræ Portarum Aurearum ſolemnia in tribus Baſilicis peragenda deſignaſſe.

Igitur die VI. Ianuarij Summus Pontifex ſede delatus deſcêndit ad Baſilicam S. Petri, ubi Miſſarum ſolemnijs de more ab Epiſcopo Cardinali peractis interfuit. Ijs abſolutis, Cardinales, & Prælati cappis dimiſ-

miſſis, ſacras veſtes ſumpſerunt, & acceptis cereis accenſis, nec-non thure per Pontificem in thuribulo pro ſupplicatione impoſito, ac Veronicâ a Canonicis oſtensâ, Sanctitas ſua intonuit Antiph. *Cum jucunditate exibitis*. Eam Cantores proſecuti fuerunt, dum ſupplicatio per Eccleſiam ad Porticum uſque habebatur. Singuli per Portam Sanctam exierunt, ultimo autem loco Summus Pontifex, qui ſtatim ad Portam converſus, illam conſuetis precibus, ac ritu a Clemente VII. ſervato clauſit. Exinde ad Podium (uulgò *Benedictionis*) in proſpectu Baſilicæ aſcêndit, unde populum ſolemniter benedixit, & luculento pleniſſimæ indulgentiæ in formâ Iubilei munere ditavit.

Idem in alijs Baſilicis Cardinales Legati eodem prorſus ritu peregerunt. Illum verò hîc attexere placuit, cùm a Magiſtris Cæremoniarum, præteritis Iubilei annis in Diarijs non ſit recenſitus; propterea, quòd res ſingularis ſit, operæ pretium erit, clauſuræ ejuſmodi ſolemnia, quo ritu manè peragi debeant, enarrare.

Ea autem mens noſtra fuit in afferendis ſingulis fragmentis Ephemeridum Ioannis Franciſci Firmani (quæ procul dubio in diverſis ſchedulis ab ipſo Auctore memoriæ conſignata, ut poſtea ſuo loco, ac tempore aptè annotaret, Compilator illius Diarij, dierum ſerie nequaquàm ſervatâ, nullâque adhibitâ curâ, ſed prout ea reperit, fortuitò exſcripſit) ut manifeſtè appareat, nos parùm, aut ferè nihil ex Diarijs percipere valuiſſe, quod ad hunc Iubilei annum pertineat. Itaque Inſtructiones ſubnectimus ab ijſdem Cæremoniarum Magiſtris ad aperiendas, & claudendas Portas Aureas, Summo Pontifici, & Cardinalibus Legatis exhibitas; ut ijs, quæ agenda eo anno præſcripta fuerant, non annotatis actis utcumque ſuppleamus.

Ordo

Ordo ſeruandus per Summum Pontificem in clauſura Portæ aureæ Vaticanæ die Epiphaniæ MDLI.

IN vigiliâ Epiphaniæ abſolutis Veſperis in Capellâ, poſtquàm Pontifex reverſus fuerit ad Aulam uulgò *Paramentorum*, ſacris veſtibus exutus, accerſitis Cardinalibus, tres Legatos ad Portas Aureas trium Baſilicarum claudendas pronunciabit; Cardinales videlicèt Ioamem Dominicum de Cupis Epiſcopum Oſtienſem, Tranenſem nuncupatum, Archipresbyterum Lateranenſem; Ioannem Epiſcopum Portuenſem Cardinalem de Salviatis, Protectorem Ordinis Caſinenſis;& Guidonem Aſcanium Sfortiam, de Sanctâ Florâ nuncupatum, Diaconum, Archipreſbyterum S.Mariæ Majoris.

Die verò Epiphaniç poſt Miſſam in Baſilicâ S. Petri, ut moris eſt, per Epiſcopum Cardinalem cantatam, Cardinales,& Prælati induent ſacra indumenta, & ſingulis tribuetur candela accenſa: Tunc Pontifex impoſito incenſo in thuribulum, ſede delatus,ad idoneum locum, ubi Veronicam, ſeu Vultum Sanctum poſſit conſpicere, ſe conferet. Eo viſo intonabit Antiphonam:*Cum jucunditate*,& ad Porticum ſupplicabundus pedibus procedens, ultimus omnium Portâ Aureâ exibit, quam ſervatis conſuetis cæremonijs claudet. Abſolutâ Miſsâ,non publicabuntur indulgentiæ, quia poſt clauſuræ ſolemnia erunt promulgandæ.

Cardinales Legati,ad claudendas alias Portas Aureas renunciati, poſt auditam Miſſam ſolemnem, ſacra ſument indumenta, & ad veneranda Apoſtolorum Capita, vel alias inſigniores reliquias procedent.

Dein-

Deinde ſupplicationis ritu ſervato, ad claudendas Portas pergent, & expletis clauſuræ ſolemnijs, adhibitâ ante eos Cruce, ſtantes ſine mitrâ, more Legatorum, populo ſolemniter benedicent, & indulgentiam plenariam in formâ Iubilei euulgari mandabunt.

Similis Ordo ſervandus a Summo Pontifice nec-non a Cardinalibus Legatis in clauſura Portarum aurearum.

PEr dies octo ante clauſuræ ſolemnia fiant proclamata publica de quatuor Portarum Aurearum clauſurâ in ſingulis Baſilicis celebrandâ. Habeantur nova numiſmata aurea, argentea, & ænea, cum plumbeis capſulis, ad ea in ipſis includenda, quę aptentur in pelui aureo, præter alios duos ad lotionem manuum Papæ, ſeu Cardinalium Legatorum adhibendos.

Præparentur cerei tribuendi Cardinalibus, & Prælatis, ac reſpectivè Canonicis, Beneficiatis, & Clericis, prout in apertione earumdem Portarum.

Parentur quatuor coclearia ad uſum artis cæmentariæ (quorum pulchrius pro Papâ, vel pro Cardinali Legato) nec-non cæmentum ſufficiens ad clauſuram cum trabibus, ſtipitibus, & coronis, ſi neceſſaria erunt. Quatuor inſuper, vel plures cæmentarij conſtituantur, ac benè inſtruantur, quorum aliqui intrinſecus Portæ obſtruendæ operaturi ſint.

Clerus Vrbis adſit quemadmodùm apertioni Portæ Aureæ Vaticanæ interfuit. Conſtruantur repagula tum ante Portam ſicut in apertione, tum intra illam per viam habendæ proceſſionis ad Portam Auream; ne eâ egreſſuri a turbâ opprimantur.

Car-

Cardinales Legati, ad claudendas Portas Sanctas renunciati, Veſperis in Capellâ Pontificiâ interſint: iiſque abſolutis, petitâque a Pontifice abeundi veniâ, diſcedant.

Præmoneatur Pœnitentiarius major, qui cum aliis quatuor ſaltem minoribus Pœnitentiariis Portæ Sanctæ obſtructioni ſuam operam præſtet.

Papa, & Cardinales Legati, Veſperarum officia obituri per Portam Auream, Eccleſiam ingredientur: ante Altare Sanctiſſimi Sacramenti orabunt: indeque ad Aram maximam Veſperis interfuturi pergent. Iis expletis, cerei diſtribuantur: quibus accenſis, inſtituatur ſupplicatio ab Altari ad locum, unde Reliquiæ erunt viſendæ, ac recolendæ; & inde Portâ Aureâ ſinguli, omnium verò ultimus Summus Pontifex, ſiue Legatus exeuntes, ad Porticum procedent. Interim omnes Baſilicarum Portæ cunctis latè patebunt.

Sedes, ſeu Cathedra Pontificalis pro Pontifice, & Faldiſtorium pro Cardinalibus Legatis prope Portam Sanctam idoneo loco aptetur.

In Baſilicâ Vaticanâ Canonici ferrum Lanceæ, & Vultum Sanctum: in aliis Baſilicis inſigniores Reliquias viſendas exhibeant.

Pontifex viſo Vultu Sancto ſurgens ſine mitrâ intonet Antiphonam: *Cum jucunditate exibitis*, quam Cantores proſequentur, eamdem repetentes, donec Pontifex, vel Cardinalis Legatus pedes Portâ Aureâ exierit. Verùm *Paraſrenarii* (ut vocant) geſtatoriam ſellam vacuam bajulantes, Sanctitatem Suam præcedant, non ſequantur.

Ea omnia ſint in promptu, quæ ad Portas obſtruendas ſunt neceſſaria: videlicet lateres, calx, ſabulum, numiſmata cum capſulis in pelui aureo, cocleare pro Pontifice, vel Cardinali Legato, nec-non alia

tria pro Pœnitentiario majori, & Pœnitentiarijs minoribus, nec-non pelues, & urceoli ad manuum lotionem adhibendi.

Abſolutâ a Cantoribus Antiphonâ, Summus Pontifex, qui mitrâ redimitus ſederit in Solio (prout Cardinalis Legatus in Faldiſtorio) ſurget, & manu candelam accenſam deferens, deſcendet ad Portam. Ante illam depoſitâ mitrâ adhuc candelam manu retinens, cum conſuetis verſiculis, & oratione lapides, calcem, & ſabulum benedicet, luſtrali aquâ aſperget, & thure adolebit. Tunc Papa, ſive Cardinalis Legatus, reſumptâ mitrâ, è manu majoris Pœnitentiarij, ſive dignioris Canonici ſumet cocleare cum calce, quam proijciet, & in medio liminis ſemel, aut pluries, ut ſibi placuerit, extendet. Deinde Pœnitentiarius tradet Pontifici lapidem, dicens ſine cantu ex libro *In virtute &c.* His peractis, majori, ac cæteris Pœnitentiarijs opus perficiendum dimittit.

Tunc Cantores inchoant Hymnum, *Vrbs Hieruſalem beata*, & Pontifex ad Sedem eminentem, Legatus ad Faldiſtorium redit, ac quilibet manus lavat. Perfectâ mox ſtructurâ, factoque a Cantoribus cantui fine; Papa, ſeu Legatus depoſitâ mitrâ ſurgit, ac miniſtrantibus Epiſcopis Aſſiſtentibus, ſeu Capellanis librum, & candelam, Acolythis cum candelabris ante eum ſtantibus, canit verſiculos, & orationem: *Saluum fac populum tuum* &c. *Deus qui in omni loco* &c.

His expletis Pontifex, ſeu Legatus intonat Hymnum, *Te Deum laudamus*; quem Cantores uſque ad locum publicæ benedictionis proſequuntur; quâ ſolemniter impertitâ, plenarium Iubileum promulgatur.

Omnium quidem manibus de hujus Iubilei anno per Iulium III. celebrato, teritur nummus, ex vnâ

facie

facie Portæ Aureæ imaginem referens cum verbis; IVSTI INTRABVNT PER EAM. ROMA. ANNO DOMINI MDL. ex alterâ exhibens ſtemma Pontificis Gentilitium hiſce literis circumdatum. IVLIVS III. P. M. A. IVBIL. Cum ijſdem pariter literis inſpicitur ipſius Pontificis effigies ab unâ parte Numiſmatis expreſſa: ab alterâ verò Porta Aurea cum verbis: APERVIT, ET CLAVSIT.

CAPVT XI.

De Iubileo celebrato a Gregorio XIII. Anno MDLXXV.

GREGORIVS XIII. die XVII. Maij MDLXXIV. in Conſiſtorio ſecreto Cardinalibus nunciavit, ſe paratum eſſe, Annum proximum MDLXXV. Iubileo ſacrum indicere. Cùm igitur in feſto Aſcenſionis Domini ad Baſilicam Vaticanam Sede elatus deſcenderet, & ſub Porticu ante majorem Baſilicæ Portam ſiſteret; Cæſar Glorierius Brevium a ſecretis, Bullam Indictionis Iubilei manu elevatam Pontifici oſtendit, quam ipſe ſigno Crucis producto euulgari annuit. Illa itaque per Glorierium tradita Franciſco Mucantio Cæremoniarum Magiſtro, ut unâ-cum Cantore Capellæ eam publicaret. Vterque ſuggeſtus ibi ad latera Portæ majoris erectos conſcendit; & Bullam Latino, Italoque idiomate, prævio tubarum clangore, & tympanorum ſtrepitu, eâdem prorſus periodorum diuiſione, nec-non cantu in publicatione Bullæ Cœnæ Domini adhiberi ſolitis, euulgavit; cùm interea

Gregor. XIII. Conſt. Dominus, & Redẽptor dat. Idibus Maij an. 1574. Põt. 3.

Digitized by Google

tereà Pontifex Miſſarum ſolemnijs in Baſilicâ intereſſet; Abſolutâ Bullæ publicatione, Curſores ejus exemplaria typis data ad valvas affixerunt: idemque peregerunt ante fores aliarum trium Baſilicarum, ad quas cum Tubicinibus,& Tympaniſtis ex Vaticano ſe contulerant.

Eadem repetita ſunt Dominicâ IV. Adventûs poſt Miſſarum ſolemnia in Sacello Pontificio decantata. Ijs namque abſolutis, Gregorius Ludovico Bentivolo, & Camillo Burgheſio (mox in Pontificatu Paulo V.) Abbreviatoribus de Parco majori Diploma tradidit iterum publicandum, & ad Aulam *Paramentorum* regreſſus eſt. Præfati verò Abbreviatores ad Portam Palatij principem deſcenderunt, ibique ex ſuggeſtibus ad hæc paratis, præſentibus Prælatis Aſſiſtentibus, ac reliquis Abbreviatoribus,& Papæ Cubicularijs prædictum Diploma ſolemniter euulgarunt. Ejus exemplaria Mandatarij Cardinalis Vrbis Vicarij ad Baſilicarum valvas publicè viſenda præbuere. Tubarum autem clangor, tympanorum ſtrepitus,& bombardarum horribilis,ac unâ feſtiuus fragor, & reboatus Diplomatis publicationem ſubſecuti ſunt, quemadmodùm præceſſerunt.

Hiſce literis Pontifex hortabatur Patriarchas, Archiepiſcopos, & Epiſcopos ad inſtruendos populos de ijs, quæ conducerent ad eorum animas præparandas conſecutioni divitiarum ſpiritualium, quas Iubilei anno pia Mater Eccleſia munificentiùs profundit. Imperatorem verò, Reges, ac Principes ad ſacrum iter ſuſcipiendum, viaſque ad Peregrinorum ſecuritatem tuendas. Alijs præterea literis Gregorius ad ſuum, & Sedis Apoſtolicæ beneplacitum ſuſpendit quaſcumque plenarias indulgentias, etiam ad inſtar, & in formâ Iubilei, earumque facultates, conceſſiones,

Gregor. XIII. lit. dat. Idib. Nouemb. an. 1574. Vit. 3.

nes, & quæcumque indulta ab ipſo, & a Sede Apoſtolicâ, ejuſque auctoritate, Eccleſijs, locis, nec-non Ordinibus etiam Mendicantium, vel Confraternitatibus conceſſa. Indulgentias tamen Baſilicarum, & Eccleſiarum Vrbis excepit.

In Conſiſtorio autem ſecreto ante prædictam Dominicam celebrato, Pontifex ad reſerandas Portas Aureas trium Baſilicarum Legatos renunciaverat: Cardinales videlicèt, Moronum Epiſcopum Oſtienſem Decanum: Marcum Sitticum ab Altæmps Preſbyterum: & Alexandrum Sfortiam Archipresbyterum. Verùm quia Cardinalis ab Altæmps articulari morbo laborans legationem obire nequivit, ejus vices Marco Antonio Presbytero Cardinali Columnæ Pontifex demandavit.

Paucos poſt dies (ut retulit Franciſcus Mucantius) Cardinales a Gregorio moniti pontificaliter equitantes ad Capellas accedere cæperunt: ſuaſque Titulares Eccleſias plerique inſtaurarunt, & decentiùs, ac ſplendidiùs exornari curarunt. *Franc. Mucant. Diar. an. 1575.*

Die xxiv. Decembris uterque Clerus ab horâ xviii. Summum Pontificem in Vaticano præſtolabatur. Is horâ xx. ad Aulam *Paramentorum* deſcêndit, indeque ſede delatus eſt ad Capellam Sixtinam, mox ad Baſilicæ Porticum. Ibi paratum ſibi Solium conſcêndit, & eminenti ſedens ſellâ, antequàm apertionis cæremoniam inchoaret, Cardinales Legatos ad ſuum munus obeundum dimiſit. Deinde Portam Auream aperuit, ritu a Clemente VII. decreto, & a Iulio III. adhibito; diſpari tamen ſorte: nam primo ictu, fracto mallei manubrio digitum Pontifex leviter læſit, unde reſiduum manubrij Stanislao Cardinali Hoſio majori Pœnitentiario tradidit. Cecidit tandem murus Portam Sanctam obſtruens, & repente in eam ingreſſura,

den-

denſiſſima turba eo impetu irrùit, & ſeſe conſtipavit, ut quàmplurimi vehementi illâ concitatione compreſſi, expirarint. Tanta enim vis hominum ad hanc celebritatem viſendam, & ad cumulatiſſimam delictorum veniam lucrifaciendam in Vaticanam Baſilicam confluxerat, ut Victorellus ſcripſerit, trecentorum millium numerum attigiſſe: quàmvis aliæ Vrbis Baſilicæ frequenti clauſurę cæremoniam ſpectantium copiâ minimè caruerint. Igitur ſemoto cæmento, Pontifex non quidem primus, ut ritus expoſcebat, ſed poſt innumeros, ob cuſtodiarum defectum Portam Sanctam ingreſſus eſt. Ante Altare Sanctiſsimi Sacramenti preces fudit, & ad Aram maximam Veſperarum ſolemnia Pontificali pompâ peregit. Ijs adfuit Erneſtus Bavariæ Ducis filius, Hidelmenſis, & Friſingenſis Eccleſiarum adminiſtrator a Pontifice malleo argenteo donatus.

Victorell. de Iubil. par. 3.

Nocte Nativitati Domini dicatâ, Pontifex matutinis precibus, & Miſſæ Sacrificio, ſolemni more in Sacello Pontificio peractis interfuit; poſtero autem manè in Baſilicâ Vaticanâ ſolemnibus ſacris operatus, ac poſtea flexis genibus Veronicam veneratus, è proſpectu Baſilicæ circumſtanti in foro confertiſſimo populo benedictionem, & ampliſſimam delictorum veniam impertivit.

Inſequenti die, Miſſæ de more in Capellâ, præſente Pontifice, cantatæ interfuit Fridericus Willelmus Cliviæ Ducis primogenitus in ſcamno Cardinalium poſt juniorem Diaconum ſedens. Hunc in eâdem Capellâ abſolutis Miſſarum ſolemnijs, inſigni enſis, & pilei munere decoratum, paucos poſt dies in ædibus Vaticanis graviter ægrotantem, ac in extremis laborantem ſacro viatico, extremâque unctione Pontifex munivit. Cùmque pientiſſimus Princeps obijſſet, ejus

cada-

cadaver in Sacello Vaticano S. Mariæ de febri depoſitum, inde ad Eccleſiam S. Mariæ de Animâ Nationis Theutonicæ, funebri, ſolemnique pompâ equitantibus poſt feretrum Pontificiæ Domûs Præfecto Prælatis Aſſiſtentibus, & Papæ Cubicularijs tranſlatum fuit.

Baccanalia eo Iubilei anno Summi Pontificis juſſu omnino vetita: & bravia in pios uſus erogata.

Feria IV. Cinerum Gregorius (uti ſolemne eſt) Pontificio, piâque majeſtate pleno equitatu, S. Sabinæ Eccleſiam inviſit: inde ad Palatium Apoſtolicum redijt per Pontem S.Mariæ, olim Senatorium dictum, quem nuper ſuâ munificentiâ ob publicam commoditatem inſtaurari curaverat, ut conſtat ex Numiſmate in unâ fronte ipſius Pontificis effigiem, ex alterâ Pontis formã præſeferente cum verbo: RESTAVRAVIT. Quotidianas verò Stationum indulgentias Cardinalibus, Epiſcopis aſſiſtentibus, Protonotarijs, & Auditoribus Rotæ, conceſſit; dummodò in ſuis domeſticis Sacellis, ſeu vicinioribus Eccleſijs Litanias majores recitarent. Præterea ijs omnibus, qui Miſſarum ſolemnijs in Capellâ Pontificiâ ubicumque eadem celebrarentur, intereſſent, plenarias indulgentias, alijs non Iubilei annis concedi conſuetas, attribuit.

Singulis VI. ferijs Martij, poſtquàm apud aras Sanctiſſimi Sacramenti, & Sanctorum Apoſtolorum in Baſilicâ Vaticanâ preces effuderat, peregrinis præſertim fœminis pedem oſculandum exhibere conſuevit.

Quater Baſilicas ad Iubileum conſequendum præſtitutas, totidemque vicibus ſeptem Eccleſias equitans Gregorius devotè perluſtravit: omnibuſque Sanctitatem Suam in poſtremâ earum viſitatione comitantibus Iubilei divitiarum lucrum indulſit, perinde

de-ac tricies ad illas perrexiſſent. Inſuper cùm primùm quatuor Baſilicas luſtraturus eſſet, ſuis familiaribus præcepit, ut triduo ante jejunarent, ſeſe illis exemplar exhibens: & ſingulos, antequàm ſacrum iter ſuſciperet, ſacrâ Euchariſtiâ cibavit.

Cęterùm a Portâ Oſtienſi reliquum, quod ſupererat, iter ad Baſilicam S. Pauli octogenarius ſenex pedibus confecit, ſummo pietatis ſenſu, & peregrinorum, aliorumque illum comitantium admiratione pariter, & ædificatione. Oh quantum Principis exemplum ſubditos urget, & ad pietatem, ac religionem excitat! Illico enim plerique Cardinales, ac ferè omnes Præſules, pedibus ad Eccleſias cum universâ familiâ pergere: eorum familiares, animo ritè expiato, Sacramentum communionis frequenter obire: hinc nobiles, inde plebei, majorum, & præcipuè Eccleſiaſticorum exemplo ducti, mirâ pietate, ac devotione frequentiùs Eccleſias adire: cælesti dape refici; itaut undique Romana pietas coruſcaret, exteros ad ipſos religionis actus crebriùs exercendos alliceret. Inſignis verò eluxit Sancti Caroli Borromæi pietas, cùm nudis pedibus quatuor Baſilicas, ac interdum ſeptem, & novem Eccleſias perluſtraret, quotidie Scalas ſanctas nudis genibus aſcenderet, ac adeò totus in Deo eſſet, ut ad prædictas Baſilicas pergens, vix obvios videret, quempiam ſalutaret, neminem verò alloqueretur. Dux itaque Parmæ in eum plerùmque incidens, ac demiſſis omnino oculis, nec ipſi ſalutatione redditâ procedentem intuitus, Viri ſanctitatem admiratus, ſe de modo viſitandi Baſilicas ad conſequendum Iubileum a Cardinali Borromæo ſatis ſuperque inſtructum fuiſſe, palàm aſſeruit.

Florebant tunc Romæ non egregiâ virtute ſolùm, ſed etiam chriſtianâ humilitate conſpicui S. Philippus Ne-

Nerius, cujus Congregationem Oratorij tunc ab ipſo fundatam Gregorius eo anno approbaverat, & Beatus Felix a Cantalicio, qui eximiæ pietatis, ac ſanctitatis ſpecimen præbuerunt. Itaque exteri omnes, qui ad Iubilei lucrum Romam convenerant, optimis, ſanctiſque exemplis mirum in modum extructi diſceſſerunt. Inter eos hunc annum inſignem adventu ſuo reddidere prædicti Dux Parmæ, & Princeps Cliviæ, Comes de Granvelâ, & Comes de Lemos Proreges Neapolis, Principes Bavariæ, Ducilla Vrbini, quidam Princeps Germanus, alter Græcus ex Imperiali familiâ Paleologâ, & quidam Abraham Ruthenus, vir ſingulari doctrinâ conſpicuus, qui Romanam fidem amplexus fuerat, & cæteri, quos nimis longum eſſet recenſere.

Gregor. XIII. Conſt. Copioſus dat. Idib. Iul. 1575.

Septies è proſpectu Baſilicæ Vaticanæ Gregorius, eo anno, præter conſuetas vices, & celebritates, ſolemnem benedictionem impertivit: feſto ſcilicèt Nativitatis Domini præcedentis anni MDLXXIV. Epiphaniæ, S. Marci, dum uterque Vrbis Clerus agmine compoſito, & innumeri ferè peregrini in foro Vaticanæ Baſilicæ eam opperiebantur, Dominicâ Sanctiſſimæ Trinitatis, feſto Apoſtolorum Petri & Pauli, Omnium Sanctorum, & Nativitatis Domini ejuſdem anni MDLXXV. Privatim verò ex feneſtrâ Palatij Apoſtolici, plurièſ etiam unâ die, & quoties exterorum multitudo, ac turmæ, peregrinorumque Sodalitates eamdem benedictionem efflagitabant.

Franc. Muc. Diar. 1575. Io. Paul. Mucătius. MSS. Obſervat. Ceremonial.

Singularis autem extitit benedictio, prædicto die Sancti Marci, ſolemni cæremoniâ impertita, cui Miſſarum ſolemnia nullatenus præceſſerant. Itaque Cardinales, ac Prælati eâ de re moniti, è ſuis domibus, cappis induti ad Aulam *Paramentorum* ſeſe, ut mos eſt, contulerunt; inde Pontificem ad Podium proſpe-

ctûs Baſilicæ comitati ſunt, ac elargitâ benedictione cùm indulgentiâ plenariâ, in prædictâ Aulâ Cappas, poſtquàm Pontifex inde diſceſſiſſet, dimiſerunt.

Verùm ne peregrinorum ſolamini quidquam deeſſet, ſingulis diebus a prandio ad pedis oſculum plurimos exteros excipiebat, itaut referant Hieronymus Capugnanus, & Franciſcus Scotthus, non ſemel unâ ipsâ die treſdecim millia peregrinorum Pontificis pedem oſculatos fuiſſe.

Hieron. Capugnan. de Iub. Franc. Scot. Itinerar. par. 2.

Singulis per annum conſuetis Veſperarum, Matutini divinæ laudis officij, ac Miſſarum ſolemnijs Gregorius eo anno in Capellâ, vel extra interfuit: in feſto autem Nativitatis Domini MDLXXIV. Reſurrectionis, Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ac Nativitatis Dominicæ anni MDLXXV. ſolemni cæremoniâ in Baſilicâ Vaticanâ ſacrificavit. Præter verò conſuetas Eccleſiaſticas functiones ipſo eodem Iubilei anno peractas, die S. Catharinæ ſacro, adfuit rei divinæ in Capellâ Apoſtolicâ pro gratiarum actione ob electionem Rodulphi Auſtriaci in Romanorum Regem futurum Imperatorem ſolemni ritu celebratæ. De ejuſdem electionis nuncio Pontifex ab eodem Electo, & ab Electorum Collegio certior factus, illam in Conſiſtorio ſecreto paucos ante dies Cardinalibus nunciaverat.

Devotionis, ac pietatis ergo, ut pio advenarum deſiderio ſatisfaceret, pluries ſe viſendum Gregorius exhibuit; privatim enim equitando, ſemel Baſilicam Lateranenſem, & Eccleſiam S. Mariæ de Arâ-Cæli, bis ſacras Ædes Sanctiſſimæ Trinitatis in Monte Pincio, & S. Mariæ de Populo viſitavit.

Inter hæc religionis causâ Romam advenit Victoria Farneſia Ducis Parmæ ſoror, cui Pontifex Iacobum Boncompagnum S. R. E. Capitaneum Generalem,

lem, & Honoratum Cajetanum cuſtodiarum principem unâ-cum pleriſque Aulicis Palatinis obviam miſit. Illa, dum Romæ commorata eſt, bis ad Pontificij pedis oſculum admiſſa: eique decretus viſitationum numerus benignè imminutus.

Id autem pleriſque Societatibus Pontifex conceſſerat: præcipuè verò Sodalitati Sanctiſsimæ Trinitatis Vrbis, inſtructâ peregrinorum ferè viginti millium ſupplicatione ad Vaticanam Baſilicam procedenti pleniſsimam impertivit indulgentiam, ac-ſi decretis vicibus Baſilicas viſitaſſet. Et optimo quidem iure; eadem enim Sodalitas ſingulis Iubilei anni diebus ſexcentos peregrinos ſe hoſpitio excepturam Pontifici exhibuit. Gregorius proinde humaniter indulſit, ut Peregrini, quos ipſa in Xenodochio exciperet, quater, vel quinquies Baſilicas perluſtrantes: Societates verò eidem aggregatæ, ſemel ab ipsâ Vrbis Sodalitate ad ſtatutas Eccleſias deductæ, Iubilei theſaurum conſequerentur. Verùm ipſa non tantùm ſponſionibus ſtetit, ſed centum ſeptuaginta ſex millia quatuor centum decem & novem peregrinorum eo anno hoſpitio excepit; quemadmodùm initâ exactiſsimâ eorumdem ratione ex Codice MSS. in Archivo ipſius Sodalitatis aſſervato clariſsimè appâret: ita ut interdum unâ-met die non ſexcentum tantùm, ſed ſexmille peregrinos in hoſpitium admiſerit. Ingens ſanè divinæ munificentiæ miraculum, & Romanæ pietatis argumentum! *Codex MSS. in Archivo Sodalit. Sanctiſs. Trinit.*

Interim Pontifex ea omnia, quæ ad peragenda clauſuræ Portæ aureæ Vaticanæ ſolemnia opus erant, provideri, ac præparari præcepit: nempe coclearia argentea aurata, & numiſmata aurea, argentea, & ænea, tribus arculis plumbeis includenda. Archiepiſcopo verò Senenſi provinciam demandavit, ut a Sa-

Digitized by Google

cello Innocentij VIII. in quo auguſtiſsimum Sacramentum aſſervabatur, uſque ad Portam auream hinc inde lignea repagula conſtrui curaret: impoſuitque Cæremoniarum Magiſtris, quòd per Curſores ejuſmodi clauſuræ ſolemnia, & Iubilei theſaurum ſchedularum impreſſarum operâ euulgarent.

Demum in pervigilio Dominicæ Nativitatis eâ prorſus ſolemnitate a Iulio III. præcedenti Iubilei anno adhibitâ, Gregorius Portam auream Vaticanæ Baſilicæ feliciter obſtruxit.

Deſignaverat jam præcedenti die Cardinalem Farneſium vice Cardinalis Moroni Decani, Genuæ Legationis munus obeuntis, ad S. Pauli: Columnam Archipreſbyterum ad Lateranenſem: & ab Altæmps, in locum Cardinalis Sfortiæ Archipresbyteri, ægrotantis, ad S. Mariæ Majoris Portas claudendas. Illos rectâ viâ ad Baſilicas pergere juſsit, licèt reclamante Cæremoniarum Magiſtro, quòd Legatos a latere ipsâ-met die coram eligi oporteret, perinde-ac de latere Pontificis crearentur.

Præterea Gregorius facultatem tribuit Pœnitentiarijs prorogandi tempus acquirendi Iubileum ijs, qui ſerò ad pœnitentiam ducti, injuncta explere nequiverant. Poſtero autem manè pro coronide Anni Iubilei, poſt Miſſam pontificali ritu in Baſilicâ Vaticanâ celebratam, è proſpectu ejuſdem Baſilicæ populo ſolemnem benedictionem, ac Iubileum elargitus eſt.

Cæterùm tanta vis hominum Romam eo anno confluxit, quantam nemo meminerat: itaut etiam poſteris memorabilis ſit futura; quemadmodùm referunt Pientinus, & Riera. Siquidem ſolam Sanctiſsimæ Trinitatis Sodalitatem a vigiliâ Nativitatis ad Pentecoſten, benè ſubductâ ratione, nonaginta mille quingentos viginti peregrinos hoſpitio recepiſſe perhibent:

Angel. Piet. Raphael Rier. hiſt. Iubil an. 1575. cap. 6.

Vale-

Valetudinarios, ex majori parte advenas, ſex circiter mille: integro verò anno centum ſexaginta quinque mille; quæ conveniunt cum præcedenti ſupputatione, additis Valetudinarijs integro anno in hoſpitium admiſsis. Reliquas verò Sodalitates Vrbis trecentas circiter exteras Societates aggregatas excepiſſe; ac inter cæteras Veliternam, quam tradunt octo millium Confratrum numerum compleviſſe. Meritò igitur Auguſtinus Valerius Cardinalis de Veronâ, Annum Iubileum Gregorij celebriorem anteactis Iubileis extitiſſe affirmavit. *Auguſt. Valerius de Iubil.*

Iubilei theſaurum Gregorius indulſerat Anglis Catholicis, dummodò illi quatuor, tres, duas, vel unam, ſi una tantùm eſſet, ex Eccleſijs locorum, in quibus degerent, quindecies devotè viſitarent, ubi cultus publicus ijs permiſſus eſſet: at ubi interdictus foret, vel aliqui legitimo impedimento aliàs detenti eſſent, ea quæ ipſis a Confeſſario injungerentur explerent; demum ubi copia Confeſſariorum deeſſet, ijs qui verâ cordis contritione expiati quindecies Roſarium, vel precatoriam Beatæ Virginis coronam recitarent, factâ facultate Confeſſarijs abſolvendi a quocumque caſu etiam in Bullâ Cœnæ Domini Apoſtolicæ Sedi reſervato. *Gregor. XIII. Conſt. Salvator dat. 30. Martij ann. 1578.*

Inſuper Sancto Carolo Cardinale Borromæo, Mediolani Archiepiſcopo, id enixè flagitante, Iubileum conceſsit omnibus, qui in eâ Civitate proximo anno Eccleſias ab eo deſignandas perluſtrarent. Quamobrem Sanctus ipſe Archiepiſcopus, ineunte anno MDLXXVI. Mediolani Iubileum indixit viſitantibus pedeſter quatuor Eccleſias, ab eo præſtitutas. Ad illas autem rhedis, aut equis vehi, omnibus vetuit, tum fœminis, tum maribus, ijs ſolummodò exceptis, qui pedibus incedere non valerent. In eâ Civitate hoſpitia

mu-

mulierum ab hoſpitijs virorum omninò disjuncta ſelegit, ac Iubileum aperuit die Purificationi Beatiſsimæ Virginis ſacro; ut purificatis tantùm mentibus, ſcirent populi, ſe ad indulgentiarum lucrum acceſſuros fore. Tunc factus ipſe aliorum norma, & exemplar, nudis pedibus frequenter cum univerſo Metropolitanæ Capitulo,& Clero decretas Eccleſias luſtrabat, peregrinorum pedes abluebat, eiſque in menſâ, jam ſeruus non Dominus, miniſtrabat. Tres ſupplicationes cum toto Clero ab Eccleſijs ſcilicèt S. Ambroſij, S.Laurentij, & S.Simpliciani ad Metropolitanam inſtitutæ: prima, ad opportunam animarum præparationem: ſecunda, ad perſeverantiam in bonis operibus: tertia,ad conſecutionem Iubilei a Deo implorandam. Cæterùm, expoſito ijs diebus in eâdem Metropolitanâ Auguſtiſsimo Sacramento ibi prolixiùs idem Sanctus orabat, ut Ioannes Petrus Gluſsianus,de his fusè loquens,commemorat.

Io.Petr.Gluſſian. vit. S. Carol. cap.7.

Accedit demum, ad Iubilei anni MDLXXV. per Gregorium XIII. celebrati teſtimonium confirmandum, numiſma, in quo imago Pontificis, ac Portæ aureæ effigies appârent expreſſæ cum verbis: APERVIT, ET CLAVSIT ANNO 1575. ROMA. & alterum item numiſma, Pontificis effigiem referens ab unâ parte, his literis circumdatam: GREGORIVS XIII. PONT.MAX.A.III. & Portam auream ab alterâ, cum lemmate: NIHIL COINQVINATVM. M.D.L.XXV. ROMA.

C A-

CAPVT XII.

De Iubilei Anno MDC. *a Clemente VIII. indicto, & celebrato.*

SECVLAREM Annum MDC. juxta primævam inſtitutionem, Iubilei ſolemnitate celebrandum, Clemens VIII. in Conſiſtorio ſecretò feſtivitati Dominicæ Aſcenſionis proximo, ejuſdem Iubilei theſauris inſignire decrevit. Mox ipſo Aſcenſionis die, cùm ad Vaticanam Baſilicam ſellâ delatus pergeret, ſub ejuſdem porticu Marcello Veſtrio Barbiano Brevium à ſecretis, Bullam Indictionis manibus geſtanti, benedixit, ac ſimul ejuſdem publicationem injunxit; Miſſarum deinde ſolemnijs in Baſilicâ interfuit. Inter hæc idem Marcellus adhuc Cappâ de more indutus, uti erat etiam Abbreviator Curiæ, Diploma conſuetis cæremonijs, ac Officialium præſentiâ, ex ambone altâ voce perlegit: prout Dominicâ IV. Adventûs ab Angelo Rogerio Abbreviatore de Parco majori repetitum fuit.

Clem. VIII. Conſt. Annus placabilis dat. 19. Maij 1599.

Alterum pariter Diploma Pontifex edidit, quo omnes indulgentias plenarias, etiam perpetuas (nec indulgentiæ Vrbis in eo reſervatæ recenſentur) per totum annum Iubilei, non autem ad beneplacitum ſuſpendit. Præteritis enim annis dubitatum fuerat, an abſque ſpeciali declaratione eædem indulgentiæ ad beneplacitum ſuſpenſæ, exacto Iubilei anno revixiſſent. Diplomatum exemplaria jam typis tradita, comet die, quò, ut diximus, fuerunt evulgata, de-

Clem. VIII. lit. dat. 12. kal. Iunij an. 1599. Pit. 8.

Paul. Alaleo Diar. ad an. 1600.

more

more ad præcipua quædam, & frequentiora Vrbis loca affixa.

Interim Clemens nihil potius habens, quàm ut Iubileum eâ, quá par erat, pietate, religione, ac ſimul Pontificiâ munificentiâ celebraret, tutum peregrinis Romam confluentibus, expeditumque iter redderet, eorumque indigentijs conſuleret, ſedulò ſtuduit, ne quid non neceſſarij tantùm, ſed etiam opportuni prętermitteretur, quod ad eam rem conferret, advenaſque ad Vrbem adeundam alliceret. Quapropter ædes in ſuburbio ad pauperes Epiſcopos, aliaſque Eccleſiaſticas inſignes perſonas Apoſtolici Palatij ſumptibus recipiendas, conduci, & ante parari curavit. Ad pauperes verò peregrinos hoſpitio excipiendos, & quotidie liberaliùs alendos, Sodalitati Sanctiſſimæ Trinitatis quinquaginta ſcuta argentea, in ſingulas hebdomadas eroganda, aſſignavit.

Viſtorell. de Iubil par. 3.

Cùm autem prope jam eſſet vigilia Nativitatis Domini, Clemens ab articulari morbo oppreſſus, tam graviter laboravit, ut cubiculo egredi non potuerit, & a Portæ aureæ apertionis ſolemnijs omnino abſtinere coactus fuerit. Itaque ne exterorum pietas ob id fruſtraretur, publico edicto per Vrbem affixo declaravit, a prædictâ vigiliâ, tametſi Portis aureis non reſeratis, qui quatuor Baſilicas inviſerent, eos Iubileum fore conſecuturos.

Nec citiùs quàm circumacto anno MDIC. nempe ante primas Veſperas Circumciſionis Domini, excuſsâ vi morbi, Pontifex apertionis ſolemnia perficere valuit. Tunc itaque in Aulâ *Paramentorum* priuſquàm ſacris veſtibus indueretur, Cardinales Geſualdum Epiſcopum Oſtienſem, ad Baſilicam Sancti Pauli: Columnam Archipresbyterum Lateranenſem, & Pinellum Archipresbyterum Sanctæ Mariæ Majoris Lega-

Legatos ad aperiendas Portas aureas renunciavit.

Deinde pluuiali Phrygio elaborato, & mitrâ pretioſâ redimitus, ſub umbellâ ab Oratoribus Imperatoris, Galliarum Regis, Venetorum, & Sabaudiæ Ducis, a Ioanne Franciſco Aldobrandino nepote, & a tribus Conſervatoribus Vrbis elatâ, ad Capellam Sixti IV. inde ad Porticum Vaticanam ſellâ geſtatoriâ vectus, ritu a Prædeceſſoribus inſtituto religioſè ſervato, Portam auream reſeravit. Abſolutâ apertionis cęremoniâ, quam è Choro Cantorum inſpectavit Dux Parmæ, Pontifex Baſilicam ingreſſus, Veſperarum officia eo ſolemni ritu peregit, ac ſi in craſtinum celebraturus eſſet. Verùm inſequenti manè pedibus non ſatis expeditus, Miſſæ per Cardinalem Epiſcopum cantatæ interfuit. Quod autem eo ipſo die obire non potuit, in Epiphaniæ celebritate explevit.

Siquidem etiam malâ valetudine utcumque impeditus, dummodò poſſet, Sacerdotij onus ferre non devitavit. Die enim Reſurrectionis Domini, adeò illi manus tumebant chiragrâ, ut chirothecis nedum cum dolore indui potuiſſet: attamen ſolemni Pontificali pompâ ſacrificavit. Dominica verò Adventu Spiritûs Sancti celebri, ita podagrâ laborabat, cubili confixus, ut inde vix potuerit ad ſellam geſtatoriam deferri; tamen ſacris indumentis veſtiri paſſus eſt, ut populo in foro adſtanti benedictionem largiretur.

Ioann. Faui. Mucant & Idem Paul. Alales Diar. Ann. 1600.

Quæ verò potuit per valetudinem inſignis ſuæ pietatis, ac devotionis argumenta, eo Iubilei anno, præbere nullatenus prætermiſit. Is quippe ſupra quinquagies ſingulis præſertim Dominicis quatuor Baſilicas, ſemel ſeptem Eccleſias perluſtravit; cùmque ad illas lecticâ veheretur, proprijs manibus ſtipem peregrinis erogabat. Pluries flexis genibus Scalas Sanctas conſcêndit eâ pietate, ut magnam lacrymarum uim

Digitized by Google

profunderet. Sexies ſeptem Vaticanæ Baſilicæ Altaria viſitavit. Duodecies Miſſam privatam celebravit in Baſilicis, alijſque ſacris Ædibus Vrbis : decies ſcilicèt ad Altare majus Baſilicæ Vaticanæ,ſemel in Eccleſiâ Sanctæ Cæciliæ, die eidem Sanctæ ſacro, & ad Aram maximam Lateranenſem,antequàm rei diuinæ ibidem die XXIV.Iunij de more celebrandæ intereſſet.

In ſolemni Sanctiſſimi Corporis Chriſti ſupplicatione, quàmvis maximâ pedum imbecillitate, ac dolore excruciaretur ; tamen Auguſtiſſimum Sacramentum,pedibus incedendo, eâque pietate detulit, ut ſeniori Romanę Rotę Auditori anteriores fimbrias elevanti munus acceſſerit, ſudariolo plerùmque tergendi Pontificis oculos,religioſis lacrymis redundantes .

Cæterùm Clemens ad Hoſpitium, ſumptibus Apoſtolicis pro Epiſcopis , & nobilibus Eccleſiaſticis peregrinis conductum , & paratum pluries ſe contulit . (Hi teſte Victorello quatuor millium numerum eo anno complevere) Exterorum , quos ibi invenerat , pedes lavit , & oſculatus eſt , quin etiam in menſâ demiſsè miniſtravit: idemque in Hoſpitio Sanctiſſimæ Trinitatis pauperibus peregrinis præſtare non deſtitit.Ad eos piè excipiendos , ac liberaliùs alendos ultra certam pecuniæ ſummam(ut ſupra teſtimonio Victorelli retulimus) è Pontificio ærario per hebdomadas Sodalitati aſſignatam, aliam deinde , ac prout rei neceſſitas poſtulabat, ſuppeditari præcepit. Etenim ut ex Rationario Codice in Archivo ejuſdem Sodalitatis aſſervato colligitur , ſcuta ſeptem millia ducenta quinque Clemens eo Iubilei anno in pios Xenodochij uſus benignè attribuit . Eadem pietatis officia retroactis quoque annis Clementem obiiſſe teſtatur marmorea Tabula in eodem Xenodochio ad parietes Cœnaculi , quod *Magnum* vocant ; ſub ærcum ipſius

Victorell. de Iubil. par. 3. Io. Stringa in vit. Clem.

Codex Rationar. Arch. SS. Trinit.

ſius Pontificis ſimulacrum ſummâ arte elaboratum expoſita, ac ſequenti concinnâ inſcriptione inſignîta.

CLEMENTI VIII. PONT. MAX
QVOD XENODOCHIVM
PATERNA CHARITATE INVISERIT.
SINGVLARIQVE LIBERALITATE
SVSTENTAVERIT.
SODALITAS OPORTVNA EIVS OPE
CONSERVATA POSVIT MDXCVII.
ILL. D. DIDACO DE CAMPO PRIMICERIO.
IO. FRANC. SALOMONIO I.V.D. CVRTIO SERGARDIO
PROSPERO IACOBATIO. ET MARIO SERREMEDIO CVST.

Porrò celeberrimâ religionis ſignificatione, ad idem Xenodochium (ut refert Cardinalis Veronenſis) convenerat Bavariæ Dux, habitu pauperis peregrini indutus: univerſo nobilium familiarium comitatu Domini exemplum ſequente.

Card. Veron. Cōment. ann. Iubil. 1600.

Fuit autem (ut habetur in Relatione Venetijs impreſsâ apud Iuntas) adeò frequens eo Iubilei Anno in idem Hoſpitium peregrinorum concurſus, ut ducenta ſeptuaginta millia peregrinorum, & ducenta quadraginta octo Societatum aggregatarum, quæ quinquaginta quatuor millium, & ſexcentum hominum numerum conſtituebant, eò confluxerint. Et ſanè idem prorſus numerus in prædicto Xenodochij Rationario accuratiſſimâ initâ ratione recenſitus apparet: Andreas autem Victorellus, & Marſilius Honoratus ex aliâ relatione MSS. (ut ijs Ioannem Bicillum aſſeruiſſe tradunt) a quodam ex ejuſdem Sodalitatis Confratribus collectâ, quatuorcentum quadraginta quatuor millia virorum, fœminarum verò viginti quinque millia: univerſim quatuorcentum ſe-

Relat. de vit. Clē. impreſſ. Ann. 1622. Id. Stringa in vit. Clem.

Cod. Rationar. an. 1663

Victor. de Iubil. par. 3. Marſil. Honorat. lib. 1 c. 5

xaginta novem millia peregrinos eo anno ibi hoſpitio exceptos fuiſſe commemorant. Alia Vrbis Xenodochia, præſertim Nationalia viginti quinque circiter millia hominum excepere.

Cæterúm incredibilis advenarum frequentia Romæ viſa eſt, multis paſſim agminibus per omnes vias ſemitaſque ad Iubileum acquirendum undequaque concurrens. Petri Matthæi hac de re teſtimonium ex prædictâ relatione confirmatur; cùm illâ liqueat terdecies centena millia exterorum ad Vrbem veniſſe. Conſtat verò ducenta circiter millia peregrinorum ſolemni Pontificis benedictioni, ipſo die Dominicæ Reſurrectioni ſacro, interfuiſſe, ac ex illis triginta ſex viros Lutheranam hæreſim abjuraſſe. Qui ſanè eximiam Romanorum Civium charitatem magnoperè ſunt admirati, ac inſignem præcipuè pietatem Summi Pontificis, quem octogenarium bis in hebdomadâ jejunare audierant: viderant rem divinam quotidie facere, ſacris ſolemnijs nunquam deeſſe, Eccleſias frequenter adire, publicæ rei aſſiduè ſtudere. *Card. Veron. loc. cit.* *Quod verò magis mireris* (ſubdit Cardinalis de Veronâ oculatus teſtis) *quòd præfati ad fidem converſi per Vrbem candelam accenſam in manu geſtantes, palàm hæreſim abjurare non erubuerint.* Stephanus verò Calvinus, Ioannis hæreſiarchæ affinis, quem Clemens perhumaniter amplexus fuerat, & ſacro Chriſmate deliniverat, inter cæteros noſcitabatur.

E proſpectu Baſilicæ Vaticanæ, ultra conſuetas anni celebritates, in Circumciſionis, Epiphaniæ, Pentecoſtes, Sanctiſſimæ Trinitatis, Apoſtolorum Petri, & Pauli, Omnium Sanctorum, & Nativitatis Domini feſtivitatibus, poſtquam rei divinæ vel ipſe operatus eſſet, vel interfuiſſet, ſolemnem populo benedictionem impertivit.

Ne

Ne quid verò optimi Præſulis muneris Clemens prætermitteret; eodem Iubilei anno quælibet Sacramenta, Baptiſmate tantùm excepto, Chriſti-fidelibus miniſtravit. Nec ab illo omnino abſtinuiſſe dixerimus; quoniam etſi neminem ſacro fonte luſtraſſet, tamen in ipſum cereos Agnos immiſit, ut ſacratior unda evaderet; Cardinales Dietrichſtainum, Guevaram, & Dezam in Epiſcopos Olomucenſem, Philippenſem, & Albanenſem conſecravit. Aſcanium Cardinalem Columnam ſacro Presbyteratûs Ordine initiavit. Duos inſignes viros ab hæreſi revocatos ſacro-ſancto Chriſmate in Baſilicâ Vaticanâ confirmavit, eoſque unâ-cum innumeris peregrinis auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento refecit. Non ſemel in eâdem Baſilicâ plurimorum confeſſiones ſacramentales audivit, ijſque ſalutari pœnitentiâ injunctâ, abſolutionis beneficium impendit. Cardinali Andreæ ab Auſtriâ ſacrum viaticum, & extremam unctionem contulit, pijſque monitis, ac precibus ad ſacræ ab eo ſuſceptæ peregrinationis præmium, æternæ ſcilicèt felicitatis Iubileum conſequendum, opem tulit. Mox defuncti cadaver funebri pompâ ad Eccleſiam S. Mariæ Theutonicorum efferri, ac nonnullis interjectis diebus ad honorarium Tumulum tanto Principi parem excitandum opportunis, ibi a ſacro Cardinalium cœtu ſolemnia juſta celebrari, a quinque Epiſcopis abſolutionis cæremoniam peragi, & diſertam facinorum, quæ religioſiſſimus Princeps patraverat, Orationem haberi præcepit. Card. Radzivilium (teſte NaKielsKi) *pridie ejus diei, quo piam Factori ſuo redditurus erat animam inviſit: & ſtans ſuper eum, & ſacram manum ægrotantis vertici imponens, adhibitis ad id accommodis precibus, prout ſupplex petebat, benedixit ei, omnemque remiſsionis indulgentiam, magnique Iubilei theſaurum* *Samuelin. Miech. claſ. 3 apr. 1600.*

bb *libe-*

liberaliſsimè attribuit. Raynutium Farneſium Parmę, & Placentię Ducem, & Margaritam Aldobrandinam ſuam proneptem matrimonio junxit.

Prætcrea centum Confratribus Societatis S. Benedicti Civitatis Florentiæ ſacrâ Communione refectis, & prandio exceptis, fercula proprijs manibus miniſtravit: Duodecim peregrinis ſingulis diebus menſæ accumbentibus humiliter cibos porrexit. Noctu è lecto ſurgens, relicto cubili, ad Baſilicam S. Petri cum intimis familiaribus per ſcalas ſecretas deſcendens, pias, ac prolixas preces ad Sacro-ſanctæ Apoſtolorum lipſana effundebat. Ibi appropinquante die Sacrum faciebat: orto jam Sole ad conſuetas Pontificij muneris partes obeundas pergebat. Frequèns, ut notavimus, jejunavit, quandoque ſolo pane, & aquâ contentus.

Nec aſſidua ſpiritalium rerum ſolicitudo a curâ temporanei Chriſtianæ Reipublicæ boni Pontificem avocavit. Exortis enim contentionibus inter Regem Galliarum, & Ducem Sabaudiæ dirimendis, Petrum Card. Aldobrandinum nepotem ad benedicendas nuptias Mariæ Mediceæ Galliarum Reginę, Florentiam: & ad pacem inter præfatos Principes conciliandam, Lutetiam Pariſiorum ablegavit.

Patribus Dominicanis unâ-cum decem & octo Cardinalibus, & prope infinito populo, Beatiſſimæ Virginis Roſarij nuncupatam Imaginem circumferentibus, inſtitutâ ſupplicatione ad quatuor Eccleſias Clemens indulſit, ut eâ ſolâ Baſilicarum viſitatione, quotquot eos comitarentur, Iubilei divitias lucrifacerent. Idque conceſſit Capitulis, & Cleris trium Baſilicarum, & Eccleſiarum nationalium Vrbis Preſbyteris, & Clericis, nec-non Sodalitatibus ibidem inſtitutis, & Sanctiſsimæ Trinitatis convaleſcentium

ad

Digitized by Google

ad prædictas Eccleſias proceſsionaliter acceſſuris. Sacriſtæ autem, & Cæremoniarum Magiſtris, alijſque miniſtris, & Cantoribus Capellæ Pontificiæ bis ſimilem gratiam impertivit, diebus videlicèt xxviij. Aprilis, & xxviij. Decembris; adhuc enim aureæ Iubilei theſauri Portæ Chriſti-fidelibus patebant: ſiquidem Pontifex podagrâ laborans ad vigiliam Circumciſionis Domini clauſuræ ſolemnia publico edicto diſtulerat. At cùm neque eâ die, pedibus adhuc debilis, clauſuræ munus obire valuiſſet, novo edicto ad octavam Epiphaniæ Iubilei beneficium protraxit.

Prædictâ igitur die apud *Lectum Paramentorum* ſiſtens, Legatos ad obſtruendas Portas aureas aliarum trium Baſilicarum delegit, Cardinales Geſualdum Epiſcopum Oſtienſem Sacri Collegij Decanum ad Baſilicam S.Pauli: de Terranovâ Pro-Archibresbyterum Eccleſiæ Lateranenſis: & Pinellum Archipreſbyterum S.Mariæ Majoris: illiſque facultate tributâ concedendi ijs, qui clauſuræ ſolemnijs adeſſent, plenariam indulgentiam in forma Iubilei: & veniâ abeundi traditâ, ad Baſilicam Vaticanam ſede delatus, Miſſæ ſacrificio a Cardinale Antoniano ſolemniter, ut moris eſt, peracto interfuit. Abſolutâ Miſsâ, ac diſtributis cereis per Cæremoniarum Magiſtros Cardinalibus, Epiſcopis, & Pœnitentiarijs, ſacris veſtibus indutis, Pontifex visâ Veronicâ, præeuntibus reliquis, ſupplicabundus ad Sacellum Sanctiſſimi Sacramenti ſellâ delatus eſt. Inde inchoatâ Antiphonâ: *Cum jucunditate exibitis*, pedibus ad Baſilicæ Atrium per Portam auream contendit, eamque ſervatis jam decretis cæremonijs obſtruxit. Cocleare argenteum Pontifici miniſtravit Card. Salviatus ſenior Presbyter, ob abſentiam Cardinalis Sanctæ Severinæ majoris Pœnitentiarij, ad quem id munus pertinebat. Demum

mum

Digitized by Google

mum ad Podium in proſpectu Baſilicæ aſcẽdit, indeque ſolemni populum benedictione, & cumulatiſſimo indulgentiarum theſauro ditavit.

Victorel. Hiſt. Iubil. par. 3.

Hîc ſilentio prætermitti non debet rara Clementis munificentia a Victorello commendata; aſſerit enim, illum trecenta millia circiter ſcuta argentea eo anno in pium pauperum ſubſidium erogaſſe.

Pet. Matth. Hiſt. Gall. Samuel Miechou. Claſſ. 3. Car. Sauſſ. Annal. Aurel. lib. 16.

Iubilei anno circumacto, ejuſdem Indulgentias, præſcriptis conditionibus lucrifaciendas Clemens ad Regum preces pleriſque Regnis impertivit: ut teſtatur Petrus Matthejus, Samuel NaKielſKi, & Carolus Sauſſeyus, qui Iubilei celebritatem in Aurelianenſi Cathedrali, ſolemni, ac religiosâ pompâ peractam, fusè deſcribit.

Abraham Bzchol. Chron. & alij.

Hunc annum inſigniorem reddidere Comitis de Lemos Pro-Regis Neapolis, & Domini de Aleoncurt celeberrimæ Legationes (Hic Henrici Galliarum Regis, ille Philippi Regis Hiſpaniarum nomine, ſolemnem magnificâ pompâ obedientiam Pontifici præſtiterunt) nec-non adventus plurium tum nobilitate, tum dignitate præſtantium virorum, qui Romam ad Iubileum adipiſcendum convenerunt. Inter eos recenſentur Dux de Bar: Fr. Gonzales de Mendoza, Capitaneus Generalis Triremium Ordinis Hieroſolymitani: quidam Epiſcopus Mexicanus: duo Epiſcopi Hungarici: aliqui Regis Galliarum intimi Cubicularij: alij Regis Poloniæ: Vxor Pro-Regis Neapolitani: quædam nobilis Polona: & Catharina Zani Veneta, cui ſemel ingredi Monaſterium S. Andreæ Venetiarum, in quo duæ ejuſdem Sorores Sanctimoniales degebant, Pontifex facultatem attribuit. Hinc liquet, quanta ratio clauſuræ Monialium a Summis Pontificibus haberetur. Quandoquidem ſemel tantùm nobiliſſimæ fœminæ advenæ, Romam eo tempore

re

Digitized by Google

re venienti, inviſendarum Sororum gratiâ, poteſtas intrandi Monaſterium facta fuerit.

Inſignia demum ejuſmodi Iubilei Anni MDC. celebrati teſtimonia (numiſmata ſcilicèt Summi Pontificis, & Cardinalium Legatorum) ſubijciemus. Primum ab unâ fronte exhibet effigiem Clementis his literis coronatam: CLEMENS VIII. PONT. MAX. ANN. VIII. ab alterâ eumdem Pontificem in Throno cum duobus Cardinalibus ibi aſſiſtentibus, ſedentem, ac Iubilei publicationem ex ambone lectam auſcultantem, duoſque Tibicines tubis canentes repræſentat, cum lemmate. IVBILEI INDICTIO A. MDC. In alio numiſmate eleganter cuſo inſpicitur Clementis effigies his circumductis characteribus: CLEMENS VIII. PONT. MAX. ANN. IX. ex alterâ facie Summus Pontifex Pontificalibus veſtibus indutus oſtenditur, flexis genibus adorans Chriſtum, Angelorum cœtu ſtipatum, ac ſupereminentem Portæ Sanctæ, in quam Chriſti-fideles ouium ſpeciem referentes ingrediuntur, additis literis: INTROITE IN EXVLTATIONE. A. MDC. Clementis effigiem in altero cuſit Artifex, literis ejuſdem nomen ita exprimentibus circumdatam: CLEMENS VIII. PONT. MAX. ANN. IVB. & Portam Auream cum Epigraphe: IVSTI INTRABVNT PER EAM. A. MDC. Alterius numiſmatis frons effigiem, ac nomen Pontificis præfert: averſa Chriſtum Dominum nubibus inſidentem, ac Angelorum Choro ſeptum, flexiſque ante Portam Sanctam peregrinis benedicentem demonſtrat, circumpoſitis verbis: EGO VOS REFICIAM. A. MDC. Præter Pontificis effigiem cum iiſdem prorſus ſupra recenſitis literis ab unâ parte: ab alterâ Angeli imago conſpicitur, olivarum ramum manu geſtantis, & peregrinis binis ac binis per Portam Sanctam ingredientibus aſſiſtentis: verbis circumſcriptis: LAVDATE

NOMEN DOMINI. MDC. Demum aliud numiſma in principe facie Clementis effigiem, & nomen indicat: ex alterâ continet eundem Pontificem ſacr is veſtibus unâ-cum Cardinalium cœtu indutum, & primum lapidem pro clauſurâ Portæ Sanctæ ſuper limine figentem, his coronantibus literis: ABSOLVTO ANNO IVBILEI MDCI. Cardinalis verò Geſualdi numiſma ex unâ facie exhibet Portam Auream cum lemmate circumpoſito: IVSTI INTRABVNT IN EAM. ex alterâ verò continet verba: ALPHONSVS EPVS OSTIEN. SACRI COLLEGII DECANVS S. R. E CARD. GESVALDVS IVSSV CLEMENTIS PAPAE VIII. APERVIT ET CLAVSIT. ANNO IVBILEI MDC. In altero numiſmate ab unâ parte cernitur Porta Aurea Lateranenſis cum Epigraphe: CLEMENS VIII. PONT.MAX. ANN.IVB.MDC. ex alterâ: SIME. D. ARAGON. C. TERRANOV. LOCO ASCA.C. COLVMNAE ARCHI. In tertio numiſmate, ex unâ facie Porta Sancta Baſilicæ Liberianæ clauſa cum literis: APERVIT ET CLAVSIT ANNO IVBILEI MDC. Ex alterâ facie: DOMINICVS S. R. E. CARD. PINELLVS ARCHIPRESB.

C A-

CAPVT XIII.

De Anno Iubilei MDCXXV. *ab Vrbano VIII. indicto, & celebrato.*

CVM Vrbanus VIII. in Conſiſtorio ſecreto die XXIX. Aprilis Anni MDCXXIV. de Cardinalium conſilio Iubileum in proximum Annum indicere ſtatuiſſet; recurrente die, Dominico in Cælos Aſcenſu celebri, dum jn Baſilicâ Vaticanâ ſolemni ſacro aderat, ejuſdem Indictionis Diploma, utì Sanctitas Sua Vulpiano Veſtrio Brevium à Secretis de more in Atrio præceperat, Auguſtinus Vrandus Abbreviator Curiæ conſuetis, & aliàs ſervatis cæremonijs euulgavit. Diplomatis exemplaria pluribus diſtributa, & ad conſueta loca affixa. *Paul. Alal. Diar. Ann. 1625.*

Deinde ea omnia, quæ ad Iubilei celebritatem peragendam erant opportuna, aptè ſunt comparata; Vrbani enim magnifica liberalitas eo præſertim anno mirabiliter eluxit, ac ne quicquam advenarum commoditati deeſſet, paterna charitas, & ſolicitudo curavit. Viæ, quà ſtratæ, quà expeditæ, undique autem tutæ peregrinis redditæ. In primis itaque Pontifex Hoſpitium exteris Epiſcopis, & Sacerdotibus excipiendis, ad Vaticanum erigi S. Palatij Præfecto imperavit. Franciſcus verò tunc Sanctæ Agathæ Diaconus Cardinalis Barberinus, Sanctitatis Suæ Nepos, nunc Epiſcopus Oſtienſis Sacri Collegij Decanus (cum quo ſanè ab infantiâ crevit miſeratio, eaque de utero matris cum eo egreſſa eſt) Patrui munificentiam, ut alia chariſmata meliora æmulatus, *Iob. cap. 31. n. 18.*

alterum Hoſpitium patefecit Scotis, Hibernis, & Anglis Catholicis; quorum protectionis peculiare munus obibat. Illis non ad victum tantummodò neceſſaria ſuppeditavit, ſed conſtanti liberalitate, tum eo anno, tum deinceps ad privatam indigentiam commodè reparandam, atque ad publicam Catholicæ religionis cauſam tuendam, ſuum ærarium non ſemel exhaurivit, & adhuc impavidus emungit; ſciens, quòd honoranti Deum de ſuâ ſubſtantiâ, implebuntur horrea ſaturitate, & vino torcularia (iuxta Sapientis adagium) redundabunt.

Prov. c. 3. n. 9

Pleraque mox recenſenda eſſent, quæ æternæ memoriæ Summo Pontifici egregia pietas ad Populi devotionem excitandam, zelus & dilectio decôris Domûs Dei ad nitorem ſacrarum Ædium augendum ſuaſerunt. At ne nimis prolixi videamur ſingula percurrendo: vel audaciâ notemur, ſi brevi narratione tot inſignia, ac ſaltem clariora ejus facinora perſtringere poſſe arbitremur, ſatis ſuperque fore exiſtimavimus fateri, nil penitus ab eo prætermiſſum fuiſſe, quod eo potiſſimùm pœnitentiæ, ac ſalutis anno, Cleri diſciplina, Eccleſiarum decus, divinorum dignitas exegerint. Pontifex enim erga ſacras Apoſtolorum exuvias (ad quarum cultum, Iubileum Anni Sancti in primis inſtitutum probavimus) ſeſe religionis exemplar abſolutiſſimum exhibuit.

Quod verò mente conceperat, licèt temporis anguſtiæ a recenti ſuâ in Summum Pontificem evectione tunc perficere vetuiſſent, brevì mox, ut licuit, expleri non diſtulit. Extant inſignia hujus rei teſtimonia; Moles ampliſſima ex ære intercurrentis auri venis undequaque aſperſo, ad Confeſſionem Principis Apoſtolorum excitata: Inter ingentes vaſtiſsimi Hemiſphærij pilas interjecta loculamenta, giganteis marmo-

Digitized by Google

moreis ſimulacris, & variâ lapillorum conglutinatione, ac cælaturis ab imo pavimento ad coronam exornata: Cochleis quoque columnis alabaſtritibus (quas Gregorius III. Anaſtaſio teſte ab Eutichio Exarcho acceptas, veteris presbyterij cancellis addixerat, Sixtus V. ad majoris abſidæ moderni Templi ingreſſum tranſtulerat) antiquitatis dignitate ſervatâ, ad decentiorem locum evectis, nempe ad celeberrima conditoria, quibus Veronicæ linteum, fruſtum Dominicæ Crucis, Longini Lancea, & B. Andreæ Caput reponuntur. Et ſanè inſignis hic ornatus longè excellit priſca argentea ciboria, quibus Gregorius Magnus, & Leo IV. ſacram ipſam Beati Petri Confeſſionem colluſtraverant. Quàmvis enim illa huic materiâ præſtarent: vaſtitate tamen molis, & arte, hic illis luculentiùs præponderat: quantitate ac pretio argenti, quæ Anaſtaſius ſupputat, æquè penſatis. Ampliſſimam ejuſdem ornatûs memoriam inſcriptiones utrinque in ſpatio inter ſuperiora, & inferiora loculamenta interpoſito, marmori ſculptæ perennant.

Anaſtaſ. Biblioth. in Greg. III.

Idem in vita eorumd. Pōt.

SALVATORIS IMAGINEM
VERONICAE SVDARIO EXCEPTAM
VT LOCI MAIESTAS DECENTER CVSTODIRET
VRBANVS VIII. PONT. MAX.
CONDITORIVM EXTRVXIT ET ORNAVIT
ANNO IVBILEI MDCXXV.

LONGINI LANCEAM
QVAM INNOCENTIVS VIII. PONT. MAX.
A BAIAZETE TVRCARVM TYRANNO ACCEPIT
VRBANVS VIII.
STATVA ADPOSITA ET SACELLO SVBSTRVCTO
IN EXORNATVM CONDITORIVM TRANSTVLIT.

PAR-

Digitized by Google

PARTEM CRVCIS
QVAM HELENA IMPERATRIX
E CALVARIO IN VRBEM EVEXIT
VRBANVS VIII. PONT. MAX.
E SESSORIANA BASILICA DESVMPTAM
ADDITIS ARA, & STATVA
HIC IN VATICANO CONDITORIO COLLOCAVIT.

SANCTI ANDREAE CAPVT
QVOD PIVS II. EX ACHAIA IN VATICANVM
ASPORTANDVM CVRAVIT.
VRBANVS VIII.
NOVIS HIC ORNAMENTIS DECORATVM
SACRISQVE STATVAE AC SACELLI
HONORIBVS COLI VOLVIT.

Sed neque aſſidua ſacrorum ſtudia unquam a Reipublicæ curis Vrbanum revocarunt; ut enim ad ſacrarum rerum incrementa, & ad ſeculi decus æquè mortalibus datus videbatur: par erat illi ad ſingula ſenſus. Itaque in Vaticano Armamentarium inſtruxit, appoſitâ ibi marmoreâ tabulâ, his verbis inciſâ.

VRBANVS VIII. PONT. MAX.
VRBIS ET DITIONIS ECCLESIASTICAE
SECVRITATI
ANNO IVBILEI MDCXXV.

Verùm Pontifex optimè ſciens, Principis Majeſtatem, nondum armis eſſe oportere decoratam, ſed in primis, literis, ac legibus armatam, inſignis Palatinæ Biblio-

Digitized by Google

bliothecę volumina, quæ Romam aduehi curaverat, Vaticanæ Bibliothecæ inſeruit, hac ibi appoſitâ inſcriptione.

VRBANVS VIII. PONT. MAX.
COMPLVRA
PALATINAE BIBLIOTHECAE VOLVMINA
NOBILES HIDELBERGICAE VICTORIAE
PARTA MANVBIAS
GREGORIO XV. ET APOSTOLICAE SEDI
A MAXIMILIANO BAVARIAE DVCE
DONATA
ROMAM ADVEXIT
OPPORTVNIS ARMARIIS IN VATICANO
CONCLVSIT
LOCVM RVDEM ANTEA, ATQVE INFORMEM
IN HANC SPECIEM REDEGIT
ET PERSPICVO SPECVLARIVM NITORE
EXORNAVIT
ANNO DOM. MDCXXIV.
PONT. PRIMO.

Cæterùm, utì Cardinalibus injunxerat Titularium Ædium reſtaurationem, nec ipſe omiſit Sacro-ſanctæ Lateranenſis Eccleſiæ adjacens Templum in utriuſque Ioannis honorem Deo ſacrum, & Conſtantiniani Baptiſterij memoriam a ſummo ad imum exornare, ibi appoſito lapide.

VRBANVS VIII. PONT. MAX.
RESTAVRAVIT ANNO IVB. MDCXXV.

Præ-

Præterea quòd S. Bibianæ Virginis Eccleſia in ve-tuſtate collabentem reſtituerit, potiùs quàm reſtau-raverit, ſubſequens inſcriptio confirmat.

AEDEM HANC
AB OLYMPINA MATRONA SANCTISSIMA
IN HONOREM
SS. BIBIANAE DEMETRIAE ET DAFROSAE
PRIMVM EXCITATAM
A SIMPLICIO PAPA DEINDE RESTITVTAM
AB HONORIO III. CONSECRATAM
VRBANVS VIII. PONT. OPT. MAX.
INSTAVRAVIT ET ORNAVIT.
ANNO IVBIL. MDCXXV. PONT. II.

Poſt tertiam Adventûs Hebdomadam publico edi-cto Cardinalis Vicarius injunxit omnibus Eccleſia-rum Vrbis Rectoribus, alijſque quovis nomine nun-cupatis earumdem Cuſtodibus, ut ſingulis tribus die-bus ante pervigilium Nativitatis poſt ſalutationem Angelicam, ſummo manè, meridie, & poſt Solis oc-caſum cunctas campanas feſtivè pulſarent, ac uter-que Clerus ſecularis, & regularis, exceptis Monachis S.Pauli, nec-non Capitulis, & Cleris Lateranenſi, & Liberiano, in ipſo Nativitatis pervigilio, apertionis Portæ aureæ Vaticanæ aſtiturus, poſt meridiem eò conveniret.

Eâ igitur die Summus Pontifex in Aulâ *Paramen-torum* antequàm ſacris veſtibus indueretur, ad ape-riendas Portas Sanctas aliarum trium Baſilicarum Legatos a latere renunciavit Cardinales a Monte Epi-ſcopum Oſtienſem Sacri Collegij Decanum, Le-nium, & Millinum Archipresbyteros; deinde ad Ca-pellam Sixti IV. contendit, ubi ante venerabile Sa-

cra-

Digitized by Google

cramentum preces effudit, ac intonuit Hymnum: *Veni Creator Spiritus*. Mox ſede delatus, ad Porticum Vaticanam deſcêndit; cùmque propè jam acceſsiſſet ad Portam Palatij principem, Cardinales Legatos ad ſuum munus obeundum dimiſit.

Vterque Clerus è Palatij portâ ad majorem Porticûs ingreſſum foro obverſum longo ordine binas ab utroque latere efformando alas protentus, Pontificem opperiens, illum in ſellâ ſub umbellâ ſublimem prætereuntem veneratus eſt. Is autem Portam auream conſueto ritu, accepto malleo è manibus Cardinalis Burgheſij majoris Pœnitentiarij, trino ictu percuſſit, & per eam obitis cæremonijs Eccleſiam ingreſſus eſt; in quâ Veſperarum Pontificalium officio peracto, injunxit militibus S. Petri, & S. Pauli, ut quotidie Portarum aurearum cuſtodiæ invigilarent.

Ejuſmodi apertionis cæremoniam è Choro Cantorum inſpexit Vladislaus Sigiſmundus Regis Poloniæ primogenitus. Huic enſe, & galero ipsâ Natalis Chriſti nocte a Pontifice ritè expiatis donato, ac per literas in formâ Brevis Canonico ſupranumerario Baſilicæ Vaticanæ inſtituto poteſtas facta, ut rochetto & cottâ indutus ſine ſtolâ, cùm omni Eccleſiaſtico careret ordine, Lanceam, Crucem, & Vultum Sanctum coram veneraretur, ac cum duobus numerarijs Canonicis, utì ſolemne eſt, Romano populo oſtenderet.

Inſigni autem hoc indulto, ut erat Vladislaus, jam Parente ſenio affecto, regno per electionem proximè accingendus (virtutibus enim præclariſſimis jam ejuſmodi Reipublicæ voto in Regem inaugurabatur) eum a munifico, & ſapiente Pontifice ornatum fuiſſe arbitramur. Cùm alias peculiare ejuſmodi privilegium nemini præter Imperatores, & Reges, collatum inve-

nerimus. Hi enim dumtaxat coronam ſuſcepturi, ſicuti à Canonicis S. Petri, veſtibus Canonicalibus induti, nempe ſuperpelliceo, & almutiâ (ea tunc erant eorumdem Canonicorum inſignia) in Canonicos excipiuntur; ita abſolutis Coronationis ſolemnijs ad Veronicam aſcendere, eamque adſtanti populo oſtendere è marmoreo podio conſueverunt: uti de Carolo Magno, alijſque teſtantur antiqua Cæremonialia.

Cæremonialia MSS.

Innumeri præterea nobiles exteri, & ex Magnatibus, ac Dynaſtis non pauci ijſdem apertionis ſolemnijs interfuere; ut enim erat Vrbanus naturæ, & animi dotibus egregiè ornatus, formâ decorus, moribus ſuavis, patriâ eloquentiâ, ac ubertate ingenij præſtabilis, literarum quoque tum humanarum, tum divinarum ſcientiâ inſtructiſſimus, ſolicitudine Reipublicæ curis aſſiduus, religione ad divinorum operationem omninò impiger, magnitudine animi ad Imperium natus: inſigni erga omnes munificentiâ, profusâ in pauperes miſeratione conſpiciendus: varijſque præterea linguis, latinâ, græcâ, & gallicâ pollens; proptereà neque bella Europam vexantia, neque lues dirè per Italiam ſerpens, populos, ac præſertim Tranſalpinos cohibere potuerunt, quin ad Vrbem confluerent, Iubilei theſauros adepturi, ac ſpectandi gratiâ Pontificem, Sacerdotum normam, Principum ideam perfectiſſimam.

Ac ſanè, ut huic piæ Peregrinorum religioni, aviditati, animique voluptati ſatisfieret, haud infrequens ſeſe offerebat occaſio. Terdecies enim Vrbanus quatuor Vrbis Templa, bis ſeptem, obivit, ſingulis vi. ferijs menſis Martij, uti ſolemne eſt, Cardinalium comitatu, in Baſilicam Vaticanam deſcendit: ſacris in eâ frequèns operatus eſt. Idem egit in Eccleſiâ S. Ioannis Baptiſtæ nationis Florentinæ, recurrente

ejuſ-

ejuſdem Sancti Nativitatis pervigilio. Alias ſacras Vrbis Ædes equitans pluries ac religiosè viſitavit. Sexies ultra conſuetos dies ſolemnem impertivit benedictionem; privatam verò è feneſtrâ Palatij, ubi commodè poſſet conſpici, quotieſcumque Sodalitatum, populique frequentia id expoſcebat. Semel confeſſiones ſacramentales, in Vaticanâ majoris Pœnitentiarij cathedrâ ſedens, audivit; ac tranſeuntes peregrinos, & incolas virgâ ſolemni leviter percuſſos expiavit.

Sub initium verò menſis Februarij; cùm lues Panormi ſæviùs graſſaretur, ad tuendam Vrbem, Baſilicæ S. Pauli inviſendam ſubrogavit vetuſtiſſimam Sanctæ Mariæ Tranſtyberim Eccleſiam, in quâ Portam Sanctam extrui & aperiri voluit. Vt autem piæ eorum devotioni, qui ſeptem Vrbis Templa obire voluiſſent, paternâ charitate ſatisfaceret; Eccleſijs SS. Sebaſtiani, & Laurentij extra muros ſacras Ædes S. Mariæ de Populo, & S. Laurentij in Lucinâ ſubſtituit. Marmoreæ tabulæ in Atrio earumdem Eccleſiarum prope fores collocatæ beneficij memoriam, nunquam oblivione delendam, his inſculptis characteribus æternitati tradiderunt.

VRBANO VIII. PONT. MAX.
QVOD TRIGEMINA PORTA PESTILENTIAE METV CLAVSA
IN BASILICAE D. PAVLI LOCVM
TEMPLVM HOC PORTAMQ. EIVS MEDIAM
MAGNAM ANNI SACRI PARTEM
SVBSTITVERIT.
CANONICI MEMORES BENEFICII
POSVERE
ANNO IVBILEI
MDCXXV.

Inſcriptio verò in Atrio Eccleſiæ Sancti Laurentij in Lucinâ hiſce verbis concepta inſpicitur.

VRBANO VIII. PONT. OPT. MAX.
HAC INTER SEPTEM VRBIS ECCLESIAS
LOCO BASILICAE S. LAVRENTII EXTRA MVROS
PESTILENTIAE CAVSA SVFFECTA
CLERICI MINORES GRATI ANIMI MONVMENTVM POSS.
ANNO IVBILEI MDCXXV.

Dominicâ Quinquageſimæ ad Eccleſiam IESV, & ipſe Pontifex equitans perrexit, in quâ Venerabile Euchariſtiæ Sacramentum miro apparatu expoſitum adoravit, & Sacrum confecit. Vt verò Vallis-tellinæ exortis tumultibus vigil occurreret, ad eos compeſcendos Franciſcum Cardinalem Barberinum nepotem Legatum a latere inſtituit. Hic dum Pariſijs Legationis munus ſtrenuè obiturus morabatur, inde Roſam auream Pontificio nomine ad Henrichettam Borboniam Regis Galliarum Ludovici XIII. ſororem, Angliæ Reginam orthodoxam cum Apoſtolicis literis tranſmiſit.

Cùmque cladis inter Ianuenſes, & Inſubres ſpecies quædam obijcerentur, Pontifex divinam opem, in quâ unicè confidebat, imploraturus, ampliſsimam noxarum propoſuit veniam ijs, qui triduò jejunaſſent, ac expiatâ conſcientiâ Baſilicam Vaticanam, & ſacram S. Mariæ Tranſtyberim Ædem, fuſis ad Deum imperatis precibus, devotè luſtraſſent. Ipſe autem omnium religioſiſsimus jejunia, ac ſacrum iter, ſolemni univerſi Cleri, Prælatorum & Cardinalium inſtitutâ ſupplicatione, pedibus confecit, atque ſcriptas in eam rem preces, Litanijs, Pſalmiſque decantatis, recitavit.

Die

Digitized by Google

Die IX. Martij S.Franciſcæ celebritati dicatâ, Eccleſiam S.Mariæ novæ, in qua ejuſdem Sanctæ corpus quieſcit, devotè viſitavit. Paucis interjectis diebus Divi Andreæ Templum pariter inviſit, piaſque preces obtulit in Sacello a ſe, cùm in minoribus eſſet, Pontificiâ tamen innatâ magnificentiâ extructo. Eâ autem majori veneratione illud colendum eſſe non eſt ambigendum, quòd ibi extaret Altare majus vetuſtiſſimæ Ædiculæ, a Chriſti-fidelibus ſupra Cloacam, in quam S.Sebaſtiani Martyris corpus dejectum fuerat, excitatæ. In eodem Sacello legitur inſcriptio, & rei teſtimonium, & Barberinæ familiæ pietatis inſigne argumentum præſeferens.

Singularis autem Vrbani pietas, ac munificentia, in pauperibus peregrinis Romam venientibus benignè, ac liberaliter alendis eo potiſsimùm anno eluxit. Mille circiter Sacerdotes, inter quos nonnulli Nobiles viri, ac treſdecim Præſules in Hoſpitium ad eam rem magnificè inſtitutum admiſsi. Ibi epulæ ſplendidè comparatæ, eorumque indigentijs largè ſubventum. Archiconfraternitati verò Sanctiſsimæ Trinitatis, ultra certam nummorum ſummam ſingulis quibuſque menſibus è Pontificio ærario aſsignatam, valida pecuniarum ſubſidia tributa.

Marfil. Honorat. de Ann. Sanct. lib. 3. cap. 2.

Conſtat enim ex Rationario, in ſupramemorato Archivo ejuſdem Xenodochij aſſervato, Pontificem eo Iubilei anno novem millia, & octingentos nummos argenteos Sodalitati ſuppeditaſſe; peregrinos autem in ejus anni decurſu ibi per ſingulos dies hoſpitio exceptos (præter viginti ſex millia trecentos nonaginta ſex valetudinarios) quingentorum ſexaginta quatuor millium numerum compleviſſe. Et ſanè ex prædictis, ac ex Sodalitatibus ab alijs quoque Vrbis Archiconfraternitatibus hoſpitio acceptis,

Rationar. Archiconf. ann. 1625.

Marſ. Honor. de Iub. lib. 3. quas Marſilius Honoratus fusè, & diſtinctè recenſet, apertè colligitur, cum Iubilei annum magno ad Vrbem peregrinorum concurſu fuiſſe celebratum.

Præterea Vrbanus argentea, immò & aurea numiſmata exteris, ac peregrinis proprijs manibus erogando, ingentem pecuniæ vim ſingulari liberalitate profudit. Vt autem quos benignè excipi, ac opiparè ali præceperat, ſuâ quoque præſentiâ Pontifex foveret, prædictum Sanctiſſimæ Trinitatis Hoſpitium non ſemel adivit, plurimorum advenarum pedes lavit, menſas benedixit, ijſque diſcumbentibus miniſtravit, ac innumeros ad pedis oſculum admiſit, non ſine religioſâ animi jucunditate, & maximâ illorum ædificatione. Proinde marmorea tabula, ſub æreum Vrbani ſimulacrum in Cœnaculo Xenodochij appoſita, ſequens hujus rei exhibet teſtimonium.

VRBANO VIII. PONT. MAX.
CAELESTIS HVMANAEQVE REI DISTRIBVTORI
LIBERALISSIMO
QVOD ANNO IVBILEI MDCXXV.
APERTIS VTRISQVE MVNIFICENTIAE VALVIS
XENODOCHIVM HOC AERE PLVRIMO IVVIT
NOVA SVPELLECTILI AVXIT
PRAESENTIA SAEPIVS
ILLVSTRAVIT
SODALITAS GRATI ANIMI MONVMENTVM
POS.

Nec ullus Vrbano ſummæ religionis, vel paſtoralis ſolicitudinis ornatus defuit, cujus aliqua non præbuerit argumenta. Etenim inter Miſſam privatam Dominicâ v. poſt paſchales ferias in Baſilicâ Vaticanâ celebratam, trecentos fermè Sodalitatis S. Benedi-

Digitized by Google

cti patriæ Civitatis Florentiæ confratres, ſacco indutos(inter quos Carolus Barberinus Sanctitatis Suæ germanus frater recenſebatur) ſacro Chriſti corpore cibavit. Exinde in Aulâ, alteri Clementinæ nuncupatæ contiguâ, poſt miniſtratam aquam ad lotionem manuum ſingulis confratribus, menſas benedixit; eoſque cibo temporali refecit. Ipſe in menſâ ſeparatâ comêdit.

Per id tempus nouum Iubilei celebritati additum decus, & incrementum, innumerâ populi devotionis, & ſpectandæ cæremoniæ Canonizationis ſtudio ad Vrbem confluentis frequentiâ. Pontifex enim die Sanctiſſimæ Trinitati ſacro, Beatam Eliſabetham Luſitaniæ Reginam, vitæ ſanctitate, ac miraculis claram inter miſſarum ſolemnia in Baſilicâ Vaticanâ de more inſigni pompâ Sanctorum catalogo adſcripſit.

Indulta venerationis auſpicia Beato Felici a Cantalicio Laïco in Eccleſiâ S. Bonaventuræ ad radices Collis Quirinalis, ut maximè potuit pro loci anguſtiâ, ac religioſâ votivæ perfectæ paupertatis profeſſione, celebrari præcepit.(Inde ad montem Pincium, inchoatis eo anno, ac mox perfectis, ſumptu Antonij Cardinalis S. Honuphrij, Suæ Sanctitatis germani fratris, Eccleſiâ ac Cœnobio, univerſa familia translata). Eccleſiæ autem inſequenti anno, ſummâ ſuæ in Beatum Franciſcum pietatis ſignificatione, primum lapidem jecit; & Pontificiam charitatis munificentiam, nolens Vrbanus Capuccinæ paupertatis limitibus coërceri, Aram maximam ornavit. Eadem prorſus verba marmoreo lapidi in eodem Templo inciſa rem diuturnitati commendant.

Inter hæc auxit Romanæ Aulæ majeſtatem, ſplendoremque inſignis planè ac magnifica Legatio Ferdinandi Afau de Riberâ Enriquez Ducis, uulgò de

Alca-

Alcalà Pro-Regis Neapolis. Is unâ-cum Duce de Paternianâ apud Summum Pontificem Oratore (ut vocant) *Ordinario*, nomine Philippi IV. Regis Hiſpaniarum Catholici, ſolemnem Pontifici in publico Conſiſtorio exhibuit obedientiam. Cæteras enim anteactas ejuſmodi Legationes illa excelluit pompâ, oſtentatione, apparatu.

Remiſsâ demum vi peſtis, Pontifex ſacris Ædibus Sanctorum Pauli, Sebaſtiani, & Laurentij extra muros indulgentias, & viſitationem reſtituit. Quòd autem eo, & inſequentibus annis non ſemel Vrbem a contagione reddidiſſet immunem: ad Metaurum auctâ ditione Vmbriam Æmiliæ, Vrbinatenſis Ducatûs ad mare Adriaticum acceſſione, nodo indiſſolubili conjunxiſſet, aliaque in publicum bonum beneficia contuliſſet; propterea Senatus Romanus animi gratitudinem publicis, perpetuiſque monimentis in aversâ Ara-cælitanæ Eccleſiæ fronte inſcriptis ita teſtatam voluit.

VRBANO VIII. PONT. OPT. MAX.
QVOD VRBEM GRASSANTE PER ITALIAM
ACERBISSIMAE PESTILENTIAE LVE INCOLVMEM
SERVAVERIT
ET SPARSA ALICVBI CONTAGIONIS SEMINA
PROPERE EXTINXERIT
QVOD DOMINATVM ECCLESIASTICVM
PEROPPORTVNA DITIONIS ACCESSIONE
AMPLIFICAVERIT
QVOD ITALIAM EDVCTIS IAM AD PRAELIVM
ADVERSARVM PARTIVM EXERCITIBVS
IN IPSO PVGNAE PROCINCTV
SVMMA FELICITATE
PACAVERIT

QVOD

QVOD ROMAM
AELIA ARCE IN MELIOREM FORMAM REDACTA
MAGNO AENEORVM TORMENTORVM PARATV
ET COPIOSISSIMO ARMAMENTARIO
FINES VERO
ARCE VRBANA A FVNDAMENTIS EXCITATA
VRBESQVE ALIAS COMPLVRES
FIRMISSIMIS OPERIBVS MVNIVERIT
QVOD TRAIANI PORTV
AD CENTVMCELLAS RESTITVTO PERFECTOQVE
VARIIS OPIFICIORVM GENERIBVS VBIQVE INDVCTIS
REI FRVMENTARIAE INOPIA INGENTI SVMPTV
SVBLEVATA
QVA TEMPLIS EXAEDIFICATIS
QVA REFECTIS ORNATISQVE
IVSTA AC TEMPERATA VEREQVE PATERNA
DOMINATIONE
POPVLORVM COMMODIS VIGILI CVRA PROSPEXERIT
S. P. Q. R.
AETERNVM MEMORIS GRATIQVE ANIMI
MONVMENTVM POSVIT.
AN. SAL. MDCXXXIV.

Cæterùm, ut Vladiſlai Poloniæ Principis præſentia clariora reddiderat Iubilei hujus anni primordia: quâ nempe Portarum Sanctarum apertionis ſolemnia illuſtraverat; par erat, ut non inferioris dignitatis Princeps, eidem anno coronam imponeret, & clauſuræ celebritati ſplendorem augeret. Is fuit Leopoldus Archi-Dux Auſtriæ Ferdinandi III. electi Imperatoris germanus frater, quem vertente anno Romam ignotè ingreſſum, in Vaticanis Ædibus ſummâ ſanè magnificentiâ hoſpitio exceptum, unâ-cum Marchione Badenſi, ac nobilibus familiaribus Pontifex inter divinam rem ſacrâ communione refecit.

Digitized by Google

Archi-Dux die xxiii. Decembris cum Pontifice pranſus, poſtero die clauſuræ Portæ Sanctæ cæremoniam è ſuggeſtu ſpectavit, & pereunte menſe Româ diſceſſit.

Iterum Vrbanus Cardinalibus de Monte Epiſcopo Oſtienſi, Lenio Lateranenſi, & Millino Liberiano Archipresbyteris, chirographo Cardinalis Barberini manu ſignato poteſtatem fecit, ut Portas earumdem Baſilicarum claudendi, & pleniſſimam in formâ Iubilei indulgentiam, ijs qui adeſſent concedendi facultatem exercerent.

Itaque in Nativitatis Dominicæ pervigilio, abſolutis Veſperis Pontificalibus, Portam Auream Vaticanam ſolemni ritu, ac pompâ Vrbanus clauſit. Duodenæ capſulæ plumbeæ, aureis, argenteis, & æreis numiſmatibus, ſuo nomine (ut infra referemus) inſcriptis plenæ, in ipsâ ſtructurâ reconditæ. Demum ipſo Domini Natali die, Miſſæ Sacrificio, ſtatutis, celebribuſque cæremonijs in Baſilicâ Vaticanâ peracto, è Podio principis Baſilicæ Portæ in forum verſæ ſolemnem circumſtanti populo benedictionem, & cumulatiſſimam indulgentiam impertivit. Ita Iubilei Anni ſolemnijs finem impoſuiſſet Vrbanus; niſi mox benignè miſeratus eorum, qui integrum præſtitutum viſitationum numerum non compleverant, ad ſupremum anni diem Iubileum prorogaſſet.

De Portæ Sanctæ apertione, & clauſurâ plurimorum teruntur manibus Numiſmata. Quorum alterum ex unâ parte exhibet Portam Auream cum Pontifice per eam ingrediente pluviali induto, & capite regno redimito (quo etſi in hujuſmodi ingreſſu Pontifex non utatur, tamen Cælator uti peculiare Pontificis inſigne illud adjecit) cum inſcriptione: HOMINIBVS BONAE VOLVNTATIS · ROMA. Altera autem pars effi-

Digitized by Google

effigiem, ac nomen Pontificis præſefert hac ratione: VRBANVS VIII. PONT. MAX. Alterius ſimilis Numiſmatis frons effigiem ejuſdem Pontificis & nomen continet: altera pars Portam Auream Vaticanam cum Pontifice flexis genibus illam obſtruente repræſentat, inſcriptis verbis: PONAT FINES SVOS PACEM. MDCXXV. Tertium pariter Numiſma viſitur, monſtrans ex una facie Portam Sanctam clauſam cum Epigraphe: RESERAVIT ET CLAVSIT. ANNO IVBILEI MDCXXV. Ex averſa Pontificis effigiem cum præmiſſis proximè verbis: VRBANVS VIII. PONT. MAX. In Numiſmate verò, quod Canonici inſignis Collegiatæ S. Mariæ Tranſtyberim cudi curarunt, viſuntur, in priori parte Pontificis effigies, his literis coronata: VRBANVS VIII. PONT. MAX. AN. II. MDCXXV. in alio latere Porta Sancta, in quam aliqui peregrini ingrediuntur: alij in genua provoluti ante eam orant. In Portæ fronte cæleſtis Aliger: infra eam literæ: ROMA. circum: C. ET CAP. S. MARIAE TR. Demum penes nos reperitur Numiſma Card. Millini, hinc præferens Portam Auream S. Mariæ Majoris cum verbis: APERVIT ET CLAVSIT ANNO IVB. MDCXXV. illinc literas ad ejuſdem gentilitia inſignia circumpoſitas: IO. GARSIA S. R. E. CAR. MILLINVS ARCHIPRE.

CAPVT XIV.

De noviſſimo Iubilei Anno MDCL. *ab Innocentio X. indicto, & celebrato.*

Author. in Diar. ann. 1650.

NOVISSIME Innocentius X. Iubileum Annum MDCL. celebraturus, proximo præcedenti anno in Conſiſtorio ſecreto Cardinalibus patefecit, ejuſdem Iubilei Indictionem de more feriâ v. Dominicę Aſcenſionis peragi ſtatuiſſe. Præſtitutâ igitur die, Petrus Ioannellus Curiæ Abbreviator Diploma in eam rem editum, a Marco Aurelio Maraldo Brevium a ſecretis in Atrio Baſilicæ Vaticanæ accepit, & conſuetis cæremonijs, ac Officialium præſentiâ euulgavit.

Eadem publicatio Dominicâ IV. Adventûs iterata eſt, ritu tamen non ut aliàs ſervato. Pontifex enim, ſtans apud *Lectum Paramentorum* ſacris veſtibus nondum indutus, duobus Subdiaconis Apoſtolicis cappâ amictis, ante Sanctitatem Suam genuflexis, Indictionis Diploma tradidit. Tum ambo ad Portam Palatij Quirinalis principem deſcenderunt, ac ex ſuggeſtibus prope eam ad id paratis, conſidentibus pariter Clericis, & Officialibus Cameræ Diploma Latino & Italo idiomate per periodos diſtinctum publicarunt. Ante lectionis initium, eâque finitâ, cecinerunt tubæ, ſonuerunt tympana, ænea tormenta jucundo ſtrepitu reboarunt.

Poſt hæc Innocentius avidiſſimè cupiens, ut peregrini in hoſpitijs Vrbis commorantes, benignè & liberaliter a cauponibus tractarentur, ad eam curam

Digitized by Google

ſedulò adhibendam Lucam Torreggianum Archiepiſcopum Ravennatem, & Cameræ Apoſtolicæ Præſidentem deſignavit. Præterea Pontificiæ Domûs Præfecto Hoſpitium prope Bâſilicam S. Petri parari præcepit, ad excipiendos, & Apoſtolici Palatij ſumptibus alendos pauperes Epiſcopos, alioſque viros tum Eccleſiaſticâ dignitate, tum generis excellentiâ illuſtres. Inſuper Prædeceſſorum leges, quæ pro Iubilei celebritate tàm ad ſacram, quàm ad profanam gubernationem ſpectabant, ratas habuit, & ſuâ auctoritate firmatas euulgari præcepit. Alias tulit, quibus Clero Romano diſciplinam, advenis religionem adjecit.

Vt autem Cardinales magis exemplo, quàm verbo ad reſtaurationem Eccleſiarum Vrbis inflammaret, Pontifex Conſtantinianam Baſilicam jam vetuſtate collabentem, jactis iterum fundamentis conſtabilivit, veteres parietinas, antiquitati veneratione ſervatâ, novâ ſtructurâ concluſit, pavimentum varij generis marmoribus mirificè ſtravit. Inſcriptio remperennans, in averſâ Baſilicæ fronte, legentium oculis, his verbis concepta, objicitur.

INNOCENTIVS X. PONT. MAX.
LATERANENSEM BASILICAM
CONSTANTINI MAGNI IMPERATORIS
LIBERALITATE ET MVNIFICENTIA EXTRVCTAM
SVMMORVM PONTIFICVM PIETATE
SAEPIVS INSTAVRATAM
VETVSTATE IAM FATISCENTEM
NOVA MOLITIONE AD VETEREM
EX PARTE ADHVC STANTEM CONFORMATA
ORNATV SPLENDIDIORE RESTITVIT
ANNO IVBILEI MDCL. PONTIF. VI.

Præ-

Digitized by Google

Præterea Sacella Vaticanæ molis, ultra præſcriptam a Michaële Angelo Bonarotâ icnographiam, Pauli V. munificâ acceſſione, Templo adjecta, ornatu penitus deſtituta, undequaque verſicolorum lapidum columnis decoravit: & marmoreis cruſtis aptè diſpoſitis, ac cælaturis, miro artis ſtudio, Pontificum martyrij palmâ inſignium effigies, Angeloſque ſacra trophæa geſtantes, exprimentibus illuſtravit. Pavimentum lateritiâ olim materiâ ſubſtratum, verſicolorato marmore magnificè diſtinxit. Ita-ut Vaticani Templi majeſtas, ſupremo hoc addito ornamento omnibus ferè numeris abſoluta, peregrinis eo Iubilei anno ad Vrbem confluentibus Apoſtolorum triumphos oſtenderet, debitam loci venerationem ingereret, ac eximiam Pontificum munificentiam patefaceret. Ornamenti hujus memoriam eleganter, & luculentiùs exprimit inſcriptio, ſupra principem Templi januam abſidæ obverſam, his notis inſculpta.

BASILICAM PRINCIPIS APOSTOLORVM
IN HANC MOLIS AMPLITVDINEM
MVLTIPLICI
ROMANORVM PONTIFICVM AEDIFICATIONE
PERDVCTAM
INNOCENTIVS X. PONT. MAX.
NOVO CAELATVRAE OPERE
ORNATIS SACELLIS
INTERIECTIS IN VTRAQVE TEMPLI ALA
MARMOREIS COLVMNIS
STRATO E VARIO LAPIDE PAVIMENTO
MAGNIFICENTIVS TERMINAVIT.

Porrò Innocentij munificentia tum in ſacrarum rerum cultu, tum in Vrbis ornatu mirificè eluxit. Siquidem,

Digitized by Google

dem, ut exteri ad ſacram peregrinationem proximè tunc ſecuturo Iubilei Anno magis ac magis allicerentur, Vrbi pariter exornandæ animum adjecit. Vaticanas itaque Ædes ſalubris aquæ fonte ſuperaddito, novo decore, & ornamento nobilitavit. Ingentiorem ſanè ac ſplendidiſſimum in Foro Agonali quatuor coloſſeis exornatum ſtatuis (hæ tam egregio ſcalpro, quàm immani profluentium aquarum vi, celeberrima Orbis flumina repræſentant) ſuperinducto Obeliſco, miro Equitis Bernini artificio, extruxit. In Areâ Capitolinâ contra Palatium Michaëlis Angeli Bonarotæ operâ olim exædificatum, alterum uniformi prorſus ſtructurâ excitavit. Vnico proinde elogio tanti Pontificis facinora complexus Senatus Romanus æneam Statuam in Capitolini Palatij Aulâ, cum ſequenti inſcriptione erexit.

INNOCENTIO DECIMO
PAMPHILIO
PONTIFICI OPTIMO MAXIMO
OB CAPITOLIVM ET AGONALE FORVM
AEDIBVS FONTIBVS OBELISCIS ORNATA
OB PRINCIPES BASILICAS
MAGNIFICENTISSIME INSTAVRATAS
OB INVECTAM DIFFICILI TEMPORE ANNONAM
ECCLESIASTICAM DIGNITATEM FELICITER
VINDICATAM
DIVTVRNAE QVIETI BREVI BELLO CONSVLTVM
PVBLICAM VTILITATEM
ABSQVE PVBLICO ONERE PROCVRATAM
FAS IVSQVE VBIQVE SERVATVM
S. P. Q. R.
ROMANO PRINCIPI MERITISSIMO
POSVIT.

His

His præclaris operibus nobilitatâ Vrbe, ſacriſque Ædibus magnificentiſſimè adornatis; Pontifex alia omnia, quæ ad Iubileũ celebrandum, & apertionis cæremoniam peragendam requirebantur, confici præcepit. Hæc pro eo, quod ad nos ſpectat, munere aptè comparari curavimus. Interim Aurearum Portarum reſerationis ſolemnia: & conſuetus omnium campanarum pulſus per triduum, poſt ſingula Angelicæ ſalutationis ſigna Eccleſiarum Cuſtodibus denunciatus, edictis ad inſigniora Vrbis loca, ut ad omnium notitiam pervenirent, de more affixis, promulgata.

Die igitur XXIV. Decembris, Summus Pontifex (ad reſerandas Portas S. Pauli, Lateranenſem, & Liberianam, Cardinalibus Lante Decano, Columnâ Archipresbytero, & Maidalchino Pro-Archipresbytero ablegatis) Portam Auream Vaticanam conſuetis precibus, & cæremonijs aperuit. Vices Pœnitentiarij, poſt Cardinalis Iuſtiniani interitum, nondum inſtituti, Cardinalis Capponius Prior Cardinalium Presbyterorum obivit. Accidit autem, ut quàmvis Innocentius validè Portam percuſſiſſet, tegulam tamen in medio ſitam duriorem frangere nequiret; præfatus itaque Cardinalis Capponius rem confecit.

Cardinales Legati, acceptâ a Pontifice abeundi facultate, prope januam Palatij, ſacras veſtes dimiſerunt. Ex ijs Cardinalis Lantes ferè nonagenarius indutus brevi amiculo, ac exomide (mantellettum, & mozzettam vocant) curru vectus ad S. Pauli Baſilicam contêndit. Columna & Maidalchinus cappis Pontificalibus amicti, extra catenas, Palatij fores cuſtodientes, mulas de more ornatas conſcenderunt, & ad ſuam quiſque Baſilicam ſolemni equitatu ſe contulit. Cardinales Legatos comitati ſunt ſui, aliorumque Cardinalium, & Oratorum familiares, ac innu-

meri

meri è primaria nobilitate viri, inter quos Maphæus & Nicolaus Barberini germani fratres,& Dux Baſſanelli Cardinalem Columnam, quem ſanguinis gradu contingebant, nec-non plerique Prælati rochettis & mantellettis induti, pileiſque ſemi-pontificalibus inſigniti. Iidem Cardinales,dum ante Caſtrum S. Angeli tranſibant, quatuor mortariorum exploſione ſalutati. Cùmque perveniſſent ad plateam Columnæ Trajanæ,vel ut alij ſcripſerunt ad Eccleſiam S.Martinæ in Capitolini clivi radicibus ſitam; ſe inuicem conſalutarunt, & ſeorſum quilibet proprium iter arripuit.

Nocte Nativitatis Dominicæ, Pontifex præcedentis diei laboribus feſſus, ſolemni matutino Officio, & Miſſæ ſacro in Pontificio Sacello peractis minimè intereſſe valuit; poſtero autem die,prout ijs,quibus Reſurgentis Domini, & Sanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum memoria recolitur, rem divinam in Baſilicâ Vaticaná ſolemni ritu celebravit.

Quindecies ad quatuor ſtatutas Eccleſias Innocentius laneis indumentis, & ſtolâ rubeâ, curru ductus cum Cardinalibus brevibus veſtibus violaceis amictis perrexit. Primùm quidem cum univerſo Cardinalium cœtu,alijs deindediebus, octo tantùm Cardinalium comitatu, quos pridie moneri præcipiebat,illas inviſit. Ex ijs etenim duo Pontificio curru excepti:reliqui in rhedâ Cardinalis Nepotis Sanctitatem Suam ſequebantur;ita-ut duo primi Cardinales, rhedâ Pontificali excepti, è Baſilicâ S.Petri ad S.Pauli Pontificem comitarentur. His verò dimiſſis, alij duo, Cardinalatu reliquis anteriores,è curru Cardinalis Nepotis ad Pontificium translati,a S. Pauli ad S.Ioannis Laterani Eccleſiam Pontificem ſociarent. Subinde duo ex quatuor reliquis ſuccederent, comi-

tantes Pontificem ad Baſilicam S.Mariæ Majoris.Inde verò noviſſimi duo reliquum iter à Baſilicâ Liberianâ ad Ædes Pontificias in ipſo Pontificis curru confecerent;ut ſic alternis eodem honore comitandi Pontificem fruerentur: & nullam apud eum, qui vices Dei gerit in terris,acceptionem Fratrum eſſe conſtaret.

Quinquies (ultra conſuetas vices) diebus ſcilicèt Nativitatis Domini anni MDCIL.& MDCL. Epiphaniæ, Pentecoſtes, & Omnium Sanctorum, à ſacro, cui vel operam dederat, vel interfuerat, è Podio Portæ Atrij Baſilicæ Vaticanæ, & Palatij Quirinalis proſtante, ſolemnem populo benedictionem impertiebat; privatam verò è feneſtrâ Palatij Apoſtolici, quoties peregrinorum multitudo illam efflagitabat. Tunc etenim ij ad quos id onus incumbit (*Florerios* vocant) tapetem rubeum auro contextum ſuperimpoſito pulvinari ad feneſtram applicabant; unde Pontifex eminens, poſtquàm circumſtanti populo ſe paululùm intuendum præbuiſſet, ter illum Cruce ſignabat: deinde poſt modicum temporis intervallum,unicâ Cruce iterum productâ,recedebat.

Die autem XVI. Martij, cùm Pontifex evitaturus incommodum ſe conferendi ad Pinacothecæ feneſtram, in Forum verſam, ex alterâ interioris Atrij Quirinalis peregrinos in genua provolutos benedicere voluiſſet,evēnit,ut illi acceptâ benedictione,turmatim in Portam Palatij irruentes inter egrediendum ſeſe adeò compreſſerint, ut eorum plurimi inde ſemimortui ad Vrbis Noſocomia fuerint delati. Itaque cavendum eſt in poſterum, ne quid ſimilis periculi contingat. Quod ſanè evitabitur, ſi Pontifex è feneſtrâ exterioris proſpectûs Palatij hujuſmodi benedictiones in Foro Quirinali, vel Vaticano largiri dignabitur.

Plu-

Digitized by Google

Pluries, & præcipuè ſingulis VI. ferijs menſis Martij, ad Baſilicam S.Petri Innocentius deſcẽdit. Licèt enim die Beatæ Virginis Annunciationi ſacro, quæ eo anno incidit in feriam VI. manè ad Eccleſiam S. Mariæ ſupra Minervam Miſſæ aſtiturus, ſericis veſtibus amictus ſe contuliſſet; tamen veſperè laneis indutus unâ-cum univerſo Cardinalium cœtu eam viſere non prætermiſit: non ſine ſummâ ſuæ pietatis erga eamdem Baſilicam ſignificatione. Alias etiam ſacras Vrbis ædes devotè viſitavit: V. ſcilicèt feriâ infra hebdomam Sexageſimæ Eccleſiam S.Laurentij in Damaſo, & feriâ II. Quinquageſimæ Eccleſiam Sanctiſsimi Nominjs IESV titulo inſignitam, ut in illis venerabile Euchariſtiæ Sacramentum ſolemni, eximioque apparatu expoſitum adoraret. Præterea ad Templa Sanctæ Franciſcæ in foro Boario, & S.Ignatij (hoc nuper ſumptibus Ludovici Cardinalis Ludoviſij extructum) dum dies eorum feſti agitabantur, contẽdit.

Cæterùm nec pietatis, nec munificentiæ officia peregrinis in Innocentio contigit deſiderari. Is enim Archiconfraternitati Sanctiſsimæ Trinitatis ad exteros omnes in Vrbem confluentes benevolè & liberaliter excipiendos, certam pecuniæ ſummam per ſingulos menſes è ſuo ærario erogari præcepit. Alia poſtmodùm munificæ charitatis ſubſidia, prout Xenodochij indigentiæ exigebant, religiosè ſuppeditavit. Quippe quòd appareant in Rationario Archiconfraternitatis undecim millia novem centum quadraginta quatuor nummi argentei eo Iubilei anno in Xenodochij uſus a Pontifice attributi. *Rationar. Archichcõf. ann. 1650.*

Inter hæc Innocentius, haud ignarus ab ſe principibus viris prodendum exemplum; idem Xenodochium, cui paternâ ſanè charitate, re nummariâ opitulabatur, ſuâ quoque præſentiâ cohoneſtavit. Etenim

Digitized by Google

nim feriâ III. majoris hebdomadæ, viſitatâ primùm Eccleſiâ,in quâ coram Auguſtiſsimo Sacramento preces fudit, ad Cœnaculum, quod vocant mulierum, aſcêndit: ibique ſedens ſub umbellâ, advenas omnes, quæ aderant, ad pedis oſculum excepit. Inde ad Cœnaculum, S. Philippi Nerij nuncupatum, deſcêndit,in quo nonnullis peregrinis pedes abluit. Vaſculum cum aquâ Matthias, & Leopoldus Medicei, Magni Ducis Etruriæ germani fratres, Sodalitij ſacco induti miniſtrarunt. Lotos ac exterſos peregrinorum pedes Pontifex oſculatus, manus lavit, cùm aquam Princeps Ludoviſius, Suæ Sanctitatis Nepos, Archiconfraternitatis Cuſtos, linteum Cardinalis Maidalchinus Vice-Protector, ſaccis induti præberent. Poſtea ad Cœnaculum *Magnum* ſe contulit. Ibi ſtans ad caput menſæ, prolatâ per Sacerdotem a Pontificiæ miſſæ ſacro benedictionis formâ, menſam ſigno Crucis benedixit, epulaſque ab ijſdem Etruriæ Principibus Sanctitati Suæ porrectas, peregrinis miniſtravit.

Hęc intuens piâ ſanè admiratione quidam Vgonottus, è menſâ illico ſurgens, ſe ad Pontificis pedes abjecit, & in lacrymas effuſus, hæreſim palàm abjurando, ſe Romanam Religionem amplecti paratum alacriter exhibuit. Mirâ eum Pontifex clementiâ, & hilaritate ad pedis oſculum perhumaniter admiſit, ac Domûs Pontificiæ Præfecto inſtruendum, & ſacro chriſmate liniendum tradidit.

Verùm ut grata Innocentianæ beneficentiæ recordatio tum apud incolas, tum apud advenas perpetuò extaret; Sodalitas æneâ Pontificis effigie in præcipuo Xenodochij Cœnaculo (quod utì diximus *Magnum* nuncupant)erectâ,hac additâ inſcriptione,memoriam ad poſteros tranſmiſit.

INNO-

INNOCENTIO X. PONT. MAX.
QVOD INSIGNI EIVS LIBERALITATE
DIFFICILLIMIS XENODOCHII TEMPORIBVS
VETVS IN EXCIPIENDIS PEREGRINIS MOS ET
LAVS RETINERI ATQVE FLORERE POTVERIT.
BENEFICII MONVMENTVM SODALITAS POSVIT
ANNO IVBILEI MDCL.

Cæterùm Cardinalium quoque pietas eo præſertim Iubilei anno mirificè eluxit. Illi etenim præfatum Sanctiſsimæ Trinitatis Xenodochium rei nummariæ auctario iuvare: peregrinos ibi hoſpitio exceptos ſuâ præſentiâ ſolari: ijs diſcumbentibus miniſtrare: aliaque Chriſtianæ charitatis munia obire non prætermiſerunt. Plerique, inter quos Cardinalis Lantes nonagenarius, ſtatutis vicibus quatuor Eccleſias ſummo devotionis ſenſu pedibus frequentarunt. Aliqui in Oratorio Sancti Marcelli, ſingulis VI. ferijs Quadrageſimæ, celeberrimas conciones habuerunt. Hi fuere Cardinales Io. Baptiſta Alterius, ſedentis nunc feliciter SS. D.N. CLEMENTIS X. germanus frater: Franciſcus Rapacciolus: Ioannes de Lugo: Vincentius Maculanus: & Aloyſius Capponius.

Sacrum Iubilei beneficium benignè impertitum fuit trium Baſilicarum Capitulis & Cleris; ſi ſemel ſupplicantium more ad quatuor Baſilicas procederent. Quamobrem Capitulum Vaticanum die VIII. Liberianum XI. & Lateranenſe XV. menſis Decembris decretas Eccleſias ad Iubileum conſequendum, agmine compoſito, viſitarunt.

Demum die XXIII. Decembris Innocentius epiſtolis Cardinalis Pamphilij Nepotis, Cardinalibus Lanti, Columnæ, & Maidalchino Portas S. Pauli, Lateranen-

nenſem, & Liberianam claudendi poteſtatem fecit.

Itaque in Nativitatis Domini pervigilio, Pontifex præſtituto tempore, horâ ſcilicèt ferè xx. ex Aulâ *Paramentorum*, ubi ſacras veſtes de more induit, ad Baſilicam Vaticanam per Portam Auream ſede vectus perrexit. Ibi in paratum ſibi Solium conſcendit: & acceptâ a Cardinalibus obedientiâ, unâ-cum ijs ſolemni pompâ indutus, Pontificales Veſperas peregit. Ijs abſolutis, poſtquàm ſacro-ſanctas Reliquias coram veneratus eſſet, inſtitutâ ſupplicatione ad Sacellum Sanctiſsimi Sacramenti, ubi devotè oravit, delatus fuit. Inde ad Porticum, cereum accenſum manu tenens, ſe contulit, & omnium ultimus Portâ Aureâ pedibus egreſſus, conſuetis cæremonijs ritè ſervatis, eam obſtruxit. Illas autem hîc ex induſtriâ omittimus, ne pluries repetitis fatigemus Lectorem. Cocleare plenum calce, quam Pontifex ſuper limen jecit, tribuſque lateribus obduxit, recitans verſiculos: *In fide &c.* (eos, ut noſtrum erat, ad aures ſuggerebamus) Sanctitati Suæ tradidit Cardinalis Ludoviſius. Is, cui nuper Pœnitentiarij munus demandatum fuerat, cum quatuor dignioribus Baſilicæ S. Petri Pœnitentiarijs, obſtructionis opus confecit. Demum omnibus ritè peractis, cumulatiſſimam delictorum veniam in formâ Iubilei ijs, qui aderant, conceſſit, eamque tùm Latino, tum Italo idiomate, ut moris eſt, Cardinales Diaconi euulgarunt.

Exterorum concurſum hoc Iubilei anno inſignem reddiderunt Margarita Sabaudiæ Ducis Emanuëlis Principis Mauritij olim Cardinalis, & Principis Thomæ ſoror, neptis Philippi II. Hiſpaniarum Regis, quæ in Monaſterio Oblatarum Turris Speculorum hoſpitium elegit: nec-non memorati Principes Medicei: & Princeps Mirandulæ, quem feriâ IV. majoris hebdomadæ

madæ poſt officium in Capellâ de more recitatum,ad privatum Pontificis colloquium admiſſum vidimus.

Imperatori, Regibus, alijſque ſupremis Principibus Innocentius pro ſe,ſuiſque Coniugibus,filijs,fratribus, nepotibus, cæteriſque eorum magis intimis familiaribus, ſeu Magnatibus Iubileum benignè impertivit.

Ad hujuſmodi Iubilei celebrati teſtimonium cuſa circumferuntur plura Numiſmata. Horum primum ex uno latere Innocentij effigiem exhibet circumpoſitis literis: INNOC. X. PONT. MAX. A. IVB. MDCL. ex altero ipſum Pontificem Portam Sanctam reſerantem repræſentat,additis literis: OSTIVM COELI APERTVM IN TERRIS. In altero Numiſmate, in priori facie Pontificis effigies exprimitur, hiſce literis coronata: INNOCEN. X. PON. MAX. AN.V. In averſâ conſpicitur imago Spiritûs Sancti Columbæ ſpeciem referentis, cum duobus olivarum ramis Portam adornantibus, & ſequenti lemmate: PORTAE COELI APERTAE SVNT. ROMA. Tertium Numiſma præter Pontificis effigiem ex unâ parte cum literis: INNOCEN.X. PONT. MAX. A.VII. ex alterâ Portam Sanctam clauſam oſtendit,cum epigraphe:APERVIT ET CLAVSIT AN.IVB.MDCL.

Accedunt Cardinalium Legatorum Numiſmata, quæ ab ipſis accepta penes nos aſſervamus. Horum primum eſt pientiſſimi viri, egenorum parentis, Cardinalis Lantes; qui nonagenarius, uti diximus, quindecies quatuor Baſilicas eximiâ cum devotione pedibus obivit: aſſuetus corpus cilicio,ac flagellis affligere, in jejunio ac oratione aſſiduus, & ſuper nudis aſſibus ſomnum in vigilias vertere. Numiſmatis frons Portam Auream,imagine S.Pauli ſuper-impoſitâ,preſeſert, circumdatam literis: INNOCENTIVS X. PONT. MAX. A. VII. in alterâ Numiſmatis parte abſque gentili-

tilitijs inſignibus cælata ſunt verba: MARCELLVS EPVS OSTIEN. S. R. E. CARD. LANTES S. COLL. DEC. APERVIT ET CLAVSIT. Secundum Numiſma Cardinalis Columnæ ſimiliter in primâ facie ipſam eamdem imaginem Portæ Sanctæ cum ijſdem prorſus literis primi Numiſmatis demonſtrat: in alterâ expreſſa viſuntur inſignia gentilitia familiæ Columnenſis, & Tomacellæ, ac verba: HIERONYMVS S. R. E. CARD. COLVMNA SS. LATERANEN. BAS. ARCHIP. APERVIT ET CLAVSIT. Tertium Numiſma ex uno latere Liberianæ Baſilicæ Portam Auream repræſentat, & hinc inde milleſimum numerum continet, hac inſcriptione: ANN. IVB. 1650. circumpoſitis literis: INNOCENTIVS X. PONT. MAX. A. VII. & ſub gradibus Portæ verba præfert: PORTA S. MARIAE MAIORIS: in alterâ facie ſtemmata gentilitiæ familiæ exhibet his verbis: FRANC. TIT. S. ADRIANI S. R. E. DIAC. CARD. MAIDALCHINVS APERVIT ET CLAVSIT. Vbi animadverte, delendum eſſe verbum *Tituli*, errore cælatoris additum; cùm Diaconorum Eccleſiæ Diaconiæ non Tituli dicantur. Solis enim Presbyteris Eccleſias in Titulum conferre licet, Diaconis verò nequaquàm; quemadmodùm antiquorum Cæremonialium lege cautum eſt, & Eminentiſs. D. meus Franciſcus Cardinalis Albitius, Sedis Apoſtolicæ defenſor acerrimus, veritatis aſſertor, religionis vindex, ſolidiſſimè docuit.

Franc. Card. Albit. in Diſcept. de Iuriſdict. Card. num. 7.

C A-

Digitized by Google

CAPVT XV.

De ſolemnijs Apertionis Portæ Aureæ Vaticanæ ſub initium Anni Iubilei MDCLXXV. *à Sanctiſsimo D.N.* CLEMENTE X. *celebratis.*

APERTIONIS Portarum Aurearum ſolemnia jam imminebant, cùm ſerò nimis, utpote inuiti, ne obſtinatæ mentis notam nobis inureremus, hunc noſtrum exiguum, ac abortiuum laborem typis dari permiſimus. Illum namque elucubraveramus ad noſtros tantùm animos inſtruendos, ac ut quæcumque acta Iubilei annis a Summis Pontificibus, pro noſtro munere exhiberemus Sanctiſsimo Principi, & benefactori CLEMENTI X. ſanè in nos clementiſsimo. Is enim ſub ipſius Pontificatûs auſpicijs, nos inter Prælatos domeſticos benignè recenſuit, & Abbatiâ juriſdictionali SS. Severi & Martyrij Vrbis veteris Patriæ noſtræ, alijſque beneficijs cumulavit. Cùm itaque non-niſi menſe Ianuario a Typographo Camerali eum juris publici fieri contigerit; idcircò temporis beneficium præſtitit, ut quicquid in publicatione præſentis Anni Iubilei, ac in Portarum Sanctarum reſeratione peractum eſt, ſubijcere potuerimus.

Appropinquabat Iubilei Annus, cùm Sanctiſsimus Dominus Noſter CLEMENS divinâ providentiâ Papa X. ut auguſtiorem & faciliorem ad Baſilicam Vaticanam acceſſum, ac jucundiorem ad illam ingreſſum redderet; ampliſsimam Aream inter Alexandri VII. Porticus quaternis columnarum ordinibus, ac ter-

Digitized by Google

nis ambulationibus diſtinctæ, complanavit: & novo fonte alteri a Paulo V. ibidem excitato omnino conformi, ſplendidiùs illuſtravit. Atrij pavimentum varij generis marmoribus elegantiſsimè ſtravit. Iconam olim Giotti Florentini Pictoris inſignem, teſſellato opere S. Petri naviculam per mare gradientis, & Salvatoris eum, ne mergeretur, erigentis exprimentem reſtituit. Sacelli Sanctiſsimi Crucifixi teſtudinem pariter teſſellato opere decentiſsimè ornavit.

Cùmque tempus inſtaret euulgandi literas Indictionis ejuſdem Iubilei, Sanctitas Sua, providâ ſolicitudine quoſdam Præſules delegit, qui coram Cardinalibus Alterio Sanctitatis Suæ Nepote S.R.E. Camerario, ac majori Pœnitentiario, & Gaſpare Carpineo Pro-Datario ac Vicario Vrbis (inſignibus quorum virtutibus encomia texere ſumus omnino impares) convenirent: & re maturè diſcuſsâ decernerent quicquid excitandis, inſtruendiſque fidelium animis, ad tantæ remiſsionis, & gratiæ theſauros lucrifaciendos, atque ad ejuſdem celebritatis ritum pro dignitate explendum, haud tamen a Prædeceſſorum ſuorum praxi alienum, in Domino conducibile videretur.

Hi fuere Archiepiſcopus olim Vrbinatenſis Iacobus de Angelis, Viceſgerens: Nos, qui Apoſtolicarum cæremoniarum Præfecturam agimus: Roccius Archiepiſcopus Damaſcenus, Sacri Apoſtolici Palatij Præfectus: de Auguſtinis Archiepiſcopus Heraclenſis, magnus Papæ Eleemoſynarius: Euſanius Epiſcopus Porphyrienſis, Sacriſta: Sluſius Brevium a Secretis: & Pilaſtrius Subdatarius, ac Abbreviator Curiæ; utriuſque Signaturæ Referendarij, & Prælati domeſtici Papæ: nec-non Abbas Michaël Angelus Riccius Congregationis Indulgentiarum, & Raphael Fabret-

bret-

brettus Cardinalis Vicarij, a Secretis. Viri quidem (ſi nos demas) probitate morum, doctrinâ, ac ſolerti prudentiâ inſignes.

Cùm igitur primùm apud Cardinalem Alterium, ac pluries apud Cardinalem Vicarium, additis quibuſdam Theologis, conveniſſemus; aliqua nos prӕteritis Iubilei annis obſervata: pleraque Pilaſtrius, & Riccius ſacrâ eruditione egregiè inſtructi expoſuerunt.

Ex illis ſelecta nonnulla, quӕ magis opportuna viſa ſunt, proximo anno in praxim redigenda. nempe quòd in Conſiſtorio ſecreto, proximo feriӕ v. Aſcenſionis Dominicӕ, Sanctiſsimus D. N. cum Cardinalibus propoſitum indicendӕ celebritatis communicet.

Bulla Indictionis in formâ conſuetâ concipiatur, in exprimendis etiam primo loco Baſilicis S. Petri, & S. Pauli Apoſtolorum, ad quarum prӕcipuam venerationem Iubileum Anni Sancti inſtitutum fuiſſe conſtat.

Die Aſcenſionis Dominicӕ, Brevium a ſecretis, rochetto & cappâ indutus, in Porticu Baſilicӕ Vaticanӕ plumbatas literas Indictionis de more Summo Pontifici exhibeat, mox Abbreviatori Curiӕ euulgandas conſignet.

Poſt aliquot dies a publicatione literarum ejuſmodi Indictionis, publicetur Breve ſuſpenſionis Indulgentiarum cum clauſula *Iubilei anno durante*, in eoque exprimatur, Indulgentias plenarias conceſſas in articulo mortis, & indulta Altarium privilegiatorum pro defunctis nequaquàm comprehendi. Cӕterùm ut major in populo Chriſtiano ſit Iubilei ӕſtimatio, reliquӕ omnes etiam Vrbis indulgentiӕ in ipsâ generali ſuſpenſione iuclusӕ habeantur. De indulgentijs, quas vocant Cruciatӕ, Portiunculӕ, & San-

ctæ Domûs Lauretanæ, proximè præcedentium annorum Iubilei conſuetudo ſervetur. Ex facultatibus verò, ac indultis abſolvendi a caſibus Apoſtolicæ Sedi reſervatis, ea tantummodò ſuſpendantur, quæ indulgentiarum cauſâ conceſſa ſunt, ad formam literarum Gregorij XIII. Hoc tamen in ſequenti Congregatione non omnino comprobatum.

Dominica IV. Adventûs Iubileum iterum publicetur per Auditores Rotæ Subdiaconos Apoſtolicos, & in pervigilio Nativitatis, Sanctiſsimus apud *Lectum Paramentorum* tres Legatos renunciet ad aperiendas Portas Sanctas trium Baſilicarum, cum facultate concedendi præſentibus indulgentiam plenariam.

Quadrageſimæ tempore appropinquante, Stationes Vrbis cum conſuetis indulgentijs promulgentur, & Breve conceſsionis Iubilei Sanctimonialibus, Anachoretis, Eremitis, Carceratis, & Infirmis Menſe Februario publicetur: atque ad Imperatorem, ac Reges, alioſque ſupremos Principes congruo tempore, ejuſmodi conceſsionis literæ mittantur.

Hoſpitium, quod alendis pauperibus Epiſcopis, ac exteris Presbyteris Summus Pontifex erigere meditatur, prope Baſilicam Vaticanam ſtatuatur.

Innovetur edictum de modeſto habitu, & decenti tonſurâ Clericorum.

Superiores Generales Ordinum, Societatum, & Congregationum regularium exhibeant Card. Vicario quàmprimùm nomina eorum, quos verbi Dei precones in Vrbe pro Anno Sancto deſignaverint, ut expendere liceat, an ij ſint moribus & doctrinâ, qui populos verbo, & exemplo inſtruere, & docere valeant.

Viri Eccleſiaſtici idonei, & honeſti per ſingulas Vrbis regiones eligantur, qui cum Magiſtris Cæremoniarum Papæ omnes Eccleſias Vrbis, eique adja-

cen-

Digitized by Google

centes exquiſitè perluſtrent,& inveſtigent, ſi quæ ad ſtructuram inſtauranda,vel ad divinorum celebrationem neceſſaria deſiderentur.

Aliqui etiam nobiles viri laici eamdem ſolicitudinem in viſitandis Hoſpitijs Vrbis adhibeant, & ſedulò caveant, ne inhoneſtæ mulieres, ac improbi homines exteris, & peregrinis ad ipſa Hoſpitia, ad cauponas, & ad tabernas ſeſe recipientibus, ſcandali occaſionem præbere poſsint.

Literis circularibus Epiſcopi,alijque Ordinarij locorum Statûs Eccleſiaſtici moneantur, ut ſedulò curent,Hoſpitia peregrinorum reſtaurari, ac inibi peregrinos cum debitâ charitate recipi: piorumque locorum Cuſtodes, ad quos id munus ſpectat, in eo ſeſe vigiles exhiberi.

Ad Secretariæ Statûs miniſtros mittatur notula eorum, quæ ad reſtaurationem, ac ſecuritatem viarum, & commoditatem peregrinorum conferre poſſunt,ut illa Cardinalibus Legatis,Pręſidentibus Provinciarum, aliorumque locorum ditionis Eccleſiaſticæ Moderatoribus Pontificio juſſu obſervanda injungantur.

Ex eo autem, quòd Breve ſuſpenſionis indulgengentiarum de more verbis generalibus concipiendum,euulgandumque fuerat,in ſecundâ habitâ Congregatione decretum eſt, quòd edicto publico notificetur fidelibus, a Sanctiſsimo præſervatas eſſe, vel denuò impertitas indulgentias Altarium privilegiatorum, & alias quaſcumque pro defunctis dumtaxat conceſſas: item tributas in articulo mortis, & facultates eas communicandi; ſed ceſſare illas, quas vivi lucrantur,cum facultate applicandi animabus defunctorum per modum ſuffragij. Verùm neque ſuſpenſas eſſe facultates abſolvendi ab hæreſi, indultas Tribuna-

bunali Sanctiſs. Inquiſitionis, ejuſque Officialibus: ſeu Miſsionarijs, ac Miniſtris Sacræ Congregationis de Propagandâ Fide, alijſque, hiſce Apoſtolicis facultatibus munitis. Præterea reſtituendas videri ſolitas indulgentias ſeptem Eccleſiarum Stationum Vrbis, & Schalarum Sanctarum. Indulgentias verò quadragenarum horarum ſupplicationis ad ſeptem annos, & totidem quadragenas durante anno Iubilei reducendas fore.

In intimatione ad valvas, & loca publica affigendâ pro acceſſu utriuſque Cleri ad proceſsionem Vaticanam, excipiantur tantummodò Capitula, & Clerus Baſilicarum S. Pauli, Lateranenſis, & S. Mariæ Majoris, nec-non familiæ regulares, Rectoreſque etiam ſeculares Eccleſiarum, quæ earumdem Baſilicarum filiales exiſtunt.

Exigatur notula Sacerdotum, qui in Eccleſijs Vrbis confeſsionibus audiendis fuerint addicti, cùm maximè interſit Iubilei anno, eos doctrinâ & pietate pollere.

Fiat edictum, quo præcipiatur Cuſtodibus omnium Eccleſiarum, ac præcipuè quatuor Baſilicarum Vrbis, ne permittant quæſtuantes, & pauperes per illas vagari, ac divina officia, & orantes ad Altaria perturbare, ſed eos præ foribus Eccleſiæ contineri ſtudeant.

Cardinalis Pro-Datarius mandet literas Indictionis in italum idioma tranferri, ac imprimi: eaſque impreſſas cum exemplaribus latinè conceptis actâ publicatione ad valvas affigi, & Cardinalibus, ac Officialibus Cameræ Apoſtolicæ de more diſtribui.

Certioretur Decanus Sacræ Rotæ Auditorij, cui miniſterium Subdiaconorum Apoſtolicorum annexum eſt, ut duobus Collegis Bullam Indictionis Iubilei

bilei Dominicâ IV. Adventûs Latino, & Italo idiomate publicandi munus injungat.

Moneantur Canonici Sacro-ſanctæ Eccleſiæ Lateranenſis, ut ſupplicent Sanctiſsimo, pro obtinendis literis conceſsionis indulgentiarum ad ſeptem Altaria; idque pariter Abbas S. Crucis in Hieruſalem agat, vel ſi jam obtinuerit, deſignet in ſuâ Eccleſiâ Altariâ viſitanda, ad conſequendas ejuſmodi indulgentias.

Alijs deinde Dubijs in tertiâ Congregatione ita reſponſum.

Eò quòd viſum fuerit, Pœnitentiarios Iubilei anno non habere niſi ordinarias facultates: Sanctiſsimo proinde ſupplicandum, ut poteſtatem tribuere dignetur Pœnitentiarijs tum ordinarijs, tum extraordinarijs hoc Iubilei anno deſignandis in quatuor Baſilicis, ac Rectoribus omnium Parochialium Vrbis tam ſecularibus, quàm regularibus, ſeculares quoſcumque abſoluendi a caſibus reſervatis etiam in Bullâ Cœnæ Domini, & a cenſuris Eccleſiaſticis, ad effectum dumtaxat præſens Iubileum conſequendi, & in foro conſcientiæ tantùm: non tamen reducendi ad priſtinum ſtatum irregulares, ſeu aliàs incapaces: publicè verò interdictos, ac excommunicatos, non-niſi ſatisfacto, parito, vel cum partibus concordato. Præterea facultatem delegare Confeſſarijs prædictis commutandi vota, præterquàm caſtitatis, & Religionis; ac pro eorum arbitrio egenis exteris numerum dierum viſitationum Eccleſiarum reducendi. Pœnitentibus verò poteſtatem facere eligendi, quem maluerint ex Confeſſarijs approbatis, ut hactenus in Iubileis extraordinarijs indulgeri conſuevit. Quod verò ſpectat ad regulares, ejuſmodi facultates tribuendas eſſe eorum Confeſſarijs ordinarijs per Superiores de more eligendis: & quòad votorum commutatio-

Digitized by Google

tionem, exceptis ſubſtantialibus cujuſcumque Ordinis, Societatis, & Inſtituti.

Quòd exteræ Confraternitates Iubileum conſequi valeant, ſemel proceſsionaliter, bis ſeorſim quatuor Baſilicas viſitantes.

Regularibus exteris reducatur numerus quindecim dierum ad quinque, ſi ſeorſim: ad tres, ſi cum fratribus de familiâ Vrbis proceſsionaliter inceſſerint: Regularibus verò Vrbis incolis, ad majorem populi ædificationem, & regularem decorem, Iubileum concedatur ter Baſilicas proceſsionaliter viſitantibus; dummodò ſaltem medietas familiæ uniuſcujuſque Monaſterij, Conventûs, vel Domûs regularis ad eas ſimul accedat.

Alumni, & Convictores Seminarij Romani, aliorumque Collegiorum Vrbis, ſimul omnes, vel ſaltem medietas eorum unâ cum Præfecto, Præceptore, ſeu famulo Baſilicas quater viſitantes, Iubileo potiantur.

In literis conceſsionis Iubilei Sanctimonialibus, Anachoretis, alijſque in perpetuâ clauſurâ degentibus, carceratis, & infirmis, explicitè comprehendantur oblatæ: puellæ, quæ educationis gratiâ in Monaſterijs degunt: aliæque ſeculares mulieres, quæ de licentiâ Sedis Apoſtolicæ ibi commorantur, ac legibus clauſuræ ſubjacent, etiam in Monaſterijs, quæ exempta præſumuntur. Quò verò ad puellas in Conſervatorijs conviventes Sanctiſsimus ſuo ſpeciali reſcripto ad ſupplices earum libellos id-ipſum indulgere dignetur.

Demum quia Bulla Indictionis non proſpicit Vrbis incolis infirmis, qui viſitatione inchoatâ, eam perficere non potuerint; illos in hoc exteris omnino æquandos fore, eiſque opus injunctum viſitandi Baſilicas, commutandum arbitrio Pœnitentiarij, vel pro-

prijs

prij Parochi, quorum conſcientiæ onerandæ ſunt, ne ejuſmodi facultate abutantur.

Demum acriter diſcuſſum eſt dubium, an Bulla Indictionis Iubilei, ubi diſponit, quod ſemel in die, ſaltem triginta, vel quindecim reſpectivè continuis, vel interpolatis diebus, quatuor Eccleſiæ viſitentur, tum ad diem naturalem, tum ad eccleſiaſticum, congruè referri poſſit; ita videlicèt, ut earumdem Eccleſiarum viſitatio præcedenti die a primis Veſperis ad Solis occaſum ſubſequentis diei, ad Iubileum conſequendum ſuffragetur, æquè ac ſi die naturali completa eſſet: vel tempus viſitationis a mediâ nocte præcedenti ad ſubſequentem omnino contractum videatur. Licèt verò major pars, ſolidis quidem innixa fundamentis, rejecto die Eccleſiaſtico, ad diem naturalem legibus tum civilibus, tum canonicis communiter receptum, & praxi, fidâ legum interprete, comprobatum; tamen quia contrarium ſentientibus (quibus nos adſtipulati fuimus) nec idonea deerant argumenta: Sanctiſſimo placuit, rem a novâ declaratione immunem prudenti arbitrio, ut hactenus, dimittendam fore. Vrgebat porrò Ioannis Monachi Cardinalis eximia auctoritas, quâ latior in eâ re Bonifacij mens in Conſiſtorio declarata, canonicis dilucidationibus, quaſi legibus inſerta, & commendata extitit; nempe, quòd viſitatio utriuſque Baſilicæ SS. Apoſtolorum (quarum tantummodò ad Iubilei lucrum tunc erat injuncta) quamvis diverſis ac diſtinctis diebus completa, tamen ad integram vicem ſatis eſſet. Ejuſmodi verò Bonifacij, ac Succeſſorum mens luce clarior elicitur ex ipſo Diplomatis verborum ſenſu; quo viſitatio Eccleſiarum haud minori triginta, vel quindecim reſpectivè dierum ſpatio obeunda concluditur: cùm ſemel tantùm unâ eâdemque die eam explendi facultas

Gloſſ. in extravag. Antiquorum verſ. ſemel ſaltem de pœnit. & remiſſ.

tribuatur: verùm latius tempus minimè contrahatur. Præterea quòd Eccleſiaſtico diei inconcuſſus potiſsimùm Apoſtolicæ Sedis ſtylus, in conceſsione indulgentiarum, ac in Iubilei Anni Sancti indictione religiosè ſervatus arrideat. Etenim ab apertione Portarum Sanctarum ante Veſperas ad ſubſequens Nativitatis pervigilium poſt Veſperas, nempe ad Solis occaſum, ejuſmodi Indulgentiarum, ac Iubilei lucrum protrahitur. Neque huic ſtylo, ut aliqui aſſerebant, Stationum indulgentias adverſari, certo certius eſt. Hæ namque indultæ erant ſtato quodam, ac determinato tempore, illis nempe, qui Pontificem olim cum Cruce ſtationali, & Clero ex Arâ maximâ Vaticanâ ad ſtatutam Eccleſiam procedentem comitabantur, & ſtationes (utì moris erat) peragebant: prout pariter ijs, qui Miſsarum, alijſq; divinorum officiorum ſolemnijs, & ſacris proceſsionibus præſentiam exhibuerint, ſimiles indulgentias elargiri frequèns Apoſtolica munificentia conſuevit.

ſupra in Par. 1. cap. 8 pag 81.

Aderat Domini in Cælos Aſcenſui ſacer, ac ſolemnis dies, cùm literæ Indictionis Iubilei, datæ die XVI. Aprilis traditæ ſunt memorato Sluſio Brevium a Secretis; Vir quidem doctrinâ, ac eruditione, tum ſacrâ, tum prophanâ, morum ſuavitate, & in ſuo munere impigrè, ac integerrimè obeundo, inter Præſules Apoſtolicę Sedis Officiales nemini ſecundus, ni dicam Anteſignanus, nobis quidem amicitiâ coniunctiſsimus: de quo ſanè ſummoperè gloriandum, & gaudendum, ut tanto Viro conſociemur. Is itaq; cappâ ſupra rochettum indutus, cùm Sanctiſsimus ad Baſilicam Vaticanam Miſsarum ſolemnijs aſtiturus, ſellâ veheretur, & è conſpectu Portæ majoris in Baſilicæ Atrio ſubſtitiſset, Sanctitati Suæ eaſdem literas Indictionis exhibuit, ut ipſas de more eulgari præciperet. Pon-

tifice

Digitized by Google

tifice autem (ſigno Crucis ſuper eum producto) hujuſmodi publicationem peragi annuente, Sanctes Pilaſtrius, Curiæ Abbreviator, illas a Sluſio acceptas, ex ambone ante fores Baſilicæ ad id paratâ, clarâ voce perlêgit: circumſedentibus interim in ingreſſu ejuſdem Baſilicæ, Vice-Camerario, Præſidentibus Clericis, & Officialibus Cameræ Apoſtolicæ, cappâ redimitis. Lectionem præceſserunt, & ſubſecuti ſunt tubarum cantus, tympanorum ſonitus, ac bombardarum reboatus. Inter hæc, Diplomatis exemplaria, typis mandata, prædictis Cameræ Adminiſtris: prout poſt Miſſarum ſolemnia, Cardinalibus, cæteriſque Præſulibus per Cæremoniarum Magiſtros diſtributa.

His omnibus ita abſolutis, Curſores Pontificij ad Baſilicæ valvas ejuſmodi exemplaria de more affixerunt; deinde præeuntibus Tibicinibus, & Tympaniſtis Populi Romani, originale Diploma geſtantes, ad S.Pauli, cæteraſque Baſilicas, pro eâdem publicatione ſolemniter peragendâ equitarunt.

Vt autem omnia in promptu eſſent, quæ ad Apertionis ſolemnia ritè, ordinatèque celebranda requirebantur, pro noſtro munere ea parari, ac confici ſedulò curavimus: tum ad majorem, ac decoram majeſtatem Summi Pontificis, & ſacri Purpuratorum Patrum Senatûs, tum etiam ad ipſorum ſacram cæremoniam ſpectantium commoditatem.

Metatis igitur Vaticani Atrij latitudine, ac mediâ ad Portam Aurea longitudine, Pontificium Solium a dextrâ Portæ Sanctæ excitatum; ita videlicèt, ut a dextero illius latere ſubſellia Cardinalium Epiſcoporum, & Presbyterorum uſq; ad columnam ingreſsûs in Porticum è regione ejuſdem Portæ Aureæ (dimiſſo tamen in mediâ latitudine aditu ad aream agendæ celebritatis) in quadrum excurrerent: ex adverſâ So-

lij parte ſubſellia Cardinalium Diaconorum uſque ad alteram columnam pariter in quadrati formam protenderentur. Hinc alter ad aream patebat aditus: ut Pontifex ſi cæli intempeſtate per forum procedere nequiret, ab areolâ, quam nunc ob Conſtantini Magni Imperatoris ſimulacrum, ibi erectum, Conſtantinianam nuncupant, ex Aulâ regiâ ad Atrium Vaticanum rectà contenderet. Poſt ſubſellia Cardinalium triplex alius decurrebat ordo ſedilium, excipiendis Archiepiſcopis, ac Epiſcopis non Aſsiſtentibus (Aſſiſtentes enim ſuper Solij areâ utrinque conſident) Abbatibus, Gubernatore Vrbis, Auditore Cameræ, Theſaurario Generali, Protonotarijs, ac reliquis Officialibus pari privilegio ſuffultis, & Generalibus Miniſtris, ac Procuratoribus Ordinum Mendicantium. Infra ipſa ſedilia ſcamnum pro Oratore Bononiæ a ſiniſtris paratum. In eo autem ſpatio, quod inter utramque columnam ingreſsûs, prædictæ Portæ Aureæ obverſi, a ſubſellijs Cardinalium ſupereſſet, Auditoribus Rotæ Subdiaconis Apoſtolicis, Clericis Cameræ, Votantibus Signaturæ Iuſtitiæ, Abbreviatoribus, Cubicularijs Papæ, & Sacri Conſiſtorij Advocatis, idoneus locus aſsignatus.

Verùm in ſuperiori ejus intervalli parte, Podium Regale excitari præcepimus, unde pro loci anguſtiâ nunquam tamen ſatis pro dignitate ſublimiùs Regia Majeſtas Chriſtinæ Alexandræ Suecorum Reginæ, hoc noſtro ævo, religionis Catholicæ decôris, Romanique Cæli ſideris fulgidiſsimi, adapertis undique cortinis, Portæ Sanctæ reſerationis ſolemnia liberiùs proſpectare poſset. Ad ejuſdem Podij latera, interjecto tamen hinc inde non exiguo ſpatio; tabulata admodùm humiliora erigi, unde è ligneis craticulis Principes, & nobiliores fœminæ ſacram ipſam cære-

mo-

Digitized by Google

moniam intuerentur; ac in primis quidem è parte Solio Pontificio proximiori, Sereniſsima Duciſſa Mutinenſis, quæ ad ſacra Petri limina veneranda nuper ad Vrbem pientiſsimè prorſus ignota properaverat. Demum extra ſepta jam memorata a ſiniſtris videlicèt ingreſsûs majoris Baſilicæ Portæ, alia tabulata conſtrui (ut exteri ſanguinis claritudine conſpicui inde ſacram actionem inſpicerent) nobilis viri, excultique Præſulis, Herculis Vicecomitis, Protonotarij Apoſtolici, nutibus, ac diſpoſitioni dimittenda. Is enim a Pontifice adlectus, quòd advenis aditum ad ejuſmodi ſolemnia ſpectanda, præberet. Eique mox cura demandata invigilandi, ne ijdem hoc Iubilei Anno ab exactoribus vectigalium, cauponibus, hoſpitibus, vectoribus, & hujuſmodi generis hominibus extorſiones quaſcumque patiantur: ſpecialique chirografo poteſtas data, reos repertos, etiam *ſolâ facti veritate inſpectâ*, compeſcendi, & ad extorta producenda compellendi.

Cùmque ſingula ad mentem inſtructa, ac in ordinem adducta eſsent; illa octiduo ante pervigilium Nativitatis Domini ab ijs, quibus id onus incumbit (*Florerios* vocant) inſequenti, quâ juſsimus, ſpecie adornata. Thronus Pontificius majeſtate plenus, aureo coruſcans fulgôre, ſub umbellâ phrygio opere elaboratâ, eminebat. Solij areolam, & ſubiectos illi gradus purpurea periſtromata: univerſam aream, inter Cardinalium ſubſellia pretioſis aulæis obducta, virides tapetes operiebant. Ampliſsima Porticûs moles circumquaque aureis culcitris tabulata, & ſcamna intrinſecus ſericis violaceis, extrinſecus aulæis omnino laneis tegebantur. Locus verò Sereniſsimæ Duciſſæ Mutinenſi deſignatus, ubi & ſcamnum cum poſtergali, & pulvinari ſérico rubro extabat, puniceis ſé-

ricis.

ricis damaſcenis, aureis diſtinctis lineis, introrſus tantùm cæteris ornatior enitebat.

Regale autem Podium, quaſi coronides apparatûs, undequaque aulæis auro textis locupletatum, penſili faſciâ aureis lacinijs onuſtâ cingebatur. Interiorem ejus ſinum aulæa pariter auro, & puerorum ludentium Raphaëlis delineamentis inſignia, ac picturarum raritate magis quàm aureâ materiâ metienda magnificè obducebant. Pueri enim coloribus adeò animati intuentium oculis objiciuntur, ut agendos nondum ſpirent ludos, ſed propemodùm agant. Cælum oloſerico villoſo rubro, undequaque faſciam lineis, ac lacinijs aureis interſtinctam diffundente, emicabat. Super ſuppedaneum è pavimento, eleganti tapete conveſtito, ſurgebat ſella ſerico, auroque utrinque expolita, Regiam exceptura Majeſtatem, tum dignitate, tum doctrinâ penè ad miraculum collucentem.

His aptè paratis, cum ſtrenuis, ac nobilibus viris Commendatario Hieroſolymitanæ Religionis, Paulo Paſsioneo, majore adiutore Locumtenentis Generalis armorum S. R. E. tribus Capitaneis, & pleriſque alijs Officialibus minoribus cuſtodiarum Papæ, bis in Vaticanum convenimus, quò ſingulis loca cuſtodienda deſignaremus. Ea præcedente Iubilei Anno MDCL. nobis etiam dirigentibus, eorumdem Prædeceſſoribus concredita fuere; annuente ſ. m. Innocentio X. tunc Summo Pontifice, ac in nos munificentiſſimo Principe. Contulit enim nobis Canonicatum Baſilicæ Vaticanæ, & Secretariam Congregationis Cæremonialis: bis præterea pontificiâ benignitate obtulit Secretariam Congregationis Sacrorum Rituum, quam haud muneri pares primò oblatam, quâ par erat, reverentiâ recuſavimus, ac iterum collatam, ſuadente fel. rec. Alexandro VII. tunc Cardinale Chiſio,

ſio, ſuſcepimus. Præſulatum pariter Referendariatûs utriuſque Signaturæ comiter offerenti, noſtrâ conditione contenti, humiliter remiſimus, donec jubente prælibato Pontifice Alexandro, qui & Commendâ Sancti Spiritûs, & Archiepiſcopali dignitate nos auxit, illam induere coacti fuimus. Sed ad rem propoſitam, a quâ paululùm declinare grati animi vis impulit, redeamus.

Singulis militum, & cuſtodiæ Pontificiæ Officialibus excubias addiximus: quâve lege, & ſolerti cuſtodiâ deſignatum munus quemlibet obire oporteret, diſtinctè nimis indicavimus; nempe quòd a Portâ Palatij Vaticani ad Obeliſcum in medio circo erectum, indeque ad Portam uſque Baſilicæ, viam ducendæ proceſsionis milites, hinc inde in duos partiti ordines, armati ſepirent; quorum ſtantes in lineâ interiori, haſtis in crucem inverſis, intextiſque vallum munitiſsimum efformarent: qui verò exteriorem tenerent lineam, ſclopulis ad populum directis ejus impetum ſtrenuè cohiberent; plerique milites ſuperiorem veſtibuli Eccleſiæ aream circumambientes, exteriores ligneos cancellos Portæ ejuſdem Baſilicæ principis cuſtodirent: alij pariter, tres cancellos Atrij, totidemque ex adverſâ parte in idem Atrium, ad læuum Baſilicæ latus Pontificio Palatio cohærens, reſpondentes; alij fores Sacrarij Baſilicæ: nec-non tabulata nobilibus fœminis, ac exteris excipiendis deſignata, ab irruenti turba validè tuerentur. Exteriora demum lignea Regalis Podij aditûs repagula ſtiparent: ijſque ad interiorum cancellorum munimen, milites Helvetij è cuſtodiâ Pontificiâ thoracati, ac loricati, galeiſque muniti adjungerentur.

A ferreis cancellis majoris ingreſsûs in Baſilicæ Porticum uſque ad valla lignea, locum agendæ cære-

mo-

moniæ ſepientia, equites levis armaturæ,baculos præ manibus geſtantes, vigiles utrinque ſiſterent. Duplicem verò aditum,qui dabatur ad aream Solij Pontificij,ſubſelliorum Cardinalium, ſedilium Prælatorum: locaque & intervalla eidem ingreſſui hærentia (è quibus Canonici cum Clero Vaticano, exterique nobiliores viri ſacram actionem inſpecturi, ac Cantores Capellæ Pontificiæ expleturi erant) militari Helvetiorum cuſtodiæ tuenda commiſimus; ſub imperio tamen Romani Dynaſtæ, Caroli de Comitibus, Ducis Poli, Magiſtrique perpetui Sacri Hoſpitij Palatij Apoſtolici, morum ſuavitate, ac avitâ nobilitate nil minùs conſpiciendi.

Ex utriſque autem Pontificijs excubijs alij ſupereſſent; Heluetij ſcilicèt hinc inde Summo Pontifici cuſtodiam exhibituri: & equites levis armaturæ, qui poſt ſellam geſtatoriam, ac Prælatos ſolemnem ſupplicationem claudentes,pedibus incederent, ut illos, ne ab irruenti populo opprimerentur, vel interturbarentur, munirent, ac defenderent: immò Portam, Aulæ regiæ, & cancellos in mediâ Palatij Porticu poſt egreſſum Summi Pontificis, ac præfatorum Præſulum occluderent, ut conatus confertiſsimæ turbæ faciliùs arcerent.

Aliqui demum milites, quòd cuſtodirent repagula erecta pro tuendo exteriori Sacello Sanctiſsimi Crucifixi, ac prohibendo egreſſum a Portâ Sanctâ, in Baſilicam admitterentur: Equitis tamen Io. Laurentij Bernini fabricæ Architecti celeberrimi nutibus ſubijciendi.

Præterea Arcis S. Angeli Vice-Caſtellanum Franciſcum de Maximis, virum æquè animo fortem; ac moribus ſuavem (cui illud apprimè conſentit: *De forti dulcedo*) tum voce, tum ſcripto admonuimus, ut à

ſuis

Digitized by Google

ſuis militibus cautè cuſtodiri præciperet ingreſſum in Pontem Ælium, ne ibi inter ſe conſtipatâ turbâ tumultus fieret, & aditus ad Vaticanum procedentibus præcludi contingeret. Id autem officij ſeriùs præſtarent in Suburbij areâ, eidem Caſtro adjacente: vias, quæ ducunt ad Baſilicam S.Petri, & Noſocomium noſtrum Sancti Spiritûs ita cuſtodientes, ut omnino ab horâ XVI. rhedas, currus, & quælibet animalia ſarcinis onuſta, inde per eumdem Pontem tranſire prohiberent, ſed per Burgum Sancti Spiritûs (& ut uulgò dicunt) *Longaram*, abire compellerent. Cardinalium, aliorumque ad Capellam pergentium currus per viam Burgi Sancti Angeli iter proſequi curarent: cæterorum verò quorumlibet, ac præcipuè nobilium fœminarum rhedas per viam Burgi veteris ad forum Vaticanum, indeque ad Eccleſiam S.Marthæ, & ad cancellos fabricæ dirigerent. Rhedas autem Sereniſsimæ Duciſſæ Mutinenſis, & Neptum Pontificis ad infimos veſtibuli Baſilicę gradus ſiſtere oportere certiorarent: aditus enim ad tabulata pro iiſdem parata è minori Portâ a ſiniſtro latere Eccleſiæ proſpectûs patebat.

Cæterùm ne apicem prætermitteremus ad excogitabilem confuſionem evitandam; Cardinalibus, Oratoribus, Principibus Solij, cæteriſque Capellæ Pontificiæ intereſſe ſolitis id ipſum per Cæremoniarum Magiſtros nunciatum. Familiares quoque Neptum Pontificis admoniti, ut ſingulis nobilibus fœminis ab iiſdem Principibus invitatis viam, & locum ſpectandæ celebritatis diſtinctè indicarent; ex ipſis verò aliqui apud Cancellos uniuſcujuſque tabulati ſiſterent, iiſdem fœminis ingreſſum ſingillatim patefacturi. Idque obſequij munus nobilis vir Vrbanus Roccius intimus Papæ (ut vocant) enſis, & pallij Cu-

bicularius, Sereniſsimæ Duciſſæ Mutinenſi præſtaret.

2 Demum prædicto Arcis S.Angeli Vice-Caſtellano: & Capitaneo cuſtodiæ Helvetæ præmonitiones in ſcriptis conſignari fecimus, ut tum pro apertione Portæ Sanctæ, tum pro benedictione ſolemni poſtridie populo elargiendâ, ænea tormenta cum mortarijs in eâdem Arce, & in foro Vaticano diſplodi præciperent. Præfectis verò rei tormentariæ exploſionum numerum voce præſcripſimus.

Vt omnes Vrbis Campanæ triduo ante pervigilium Nativitatis Domini per horam poſt ſingula Angelicæ Salutationis ſigna, ipſo autem pervigilio ab horâ XIX. ad XXI. feſtivè pulſarentur, Eccleſiarum Rectoribus, impreſsis ſchedulis præcipi curavimus.

Inter hæc, ut aliquo ornatûs augmento, præſertim hoc Iubilei anno, noſtram S.Spiritûs Eccleſiam decoraremus, Aram Templi principem in ampliorem, dignioremque formam erigi fecimus. Illa igitur noviter extructa: ac lapidum variorum cruſtis & cælaturis, gradibus quoque clynopedijs circumvolutis; & Angelorum ſimulacris Sacratiſsimæ Euchariſtiæ Tabernaculum porrectâ, ſubmiſsâque dextrâ extollentibus, ac flexo poplite quaſi Sacramentum adorantibus, utrinque auratis ornata: ac ſpecioſâ eminus umbellâ penſili contecta, ſacris de more ſuper-erat initianda. Solemni itaque precatione, ipſo S.Thomæ Apoſtoli feſto, non omiſimus illam, Litanijs, Pſalmiſque decantatis, aquâ luſtrali perſpergendo expiare, circum thurificando clarificare, ſacrâ utriuſque olei unctione liniendo conſecrare, ſuccinendo preces, ac orationes, interimpertitis benedictionibus inſignire: pontificali demum litatione ad immolandum adhibere. In eo autem, nempe in loculamen-

to

Digitized by Google

to ad mediam menſæ ſuperficiem effoſſo, incluſimus particulam veli Beatiſsimæ Virginis, dentem Sanctæ Nimphæ, & ex cranio SS. Triphonis, Reſpicij, & Severæ Martyrum, quæ ne evelli poſſent, teſſello marmoreo vario occluſimus, & ſacrâ inunctione ritè conneximus. Sub eo pariter manſura dimiſimus reperta ibi dimidiata Corpora eorumdem Sanctorum Triphonis, Reſpicij, & Nimphæ: atque adjecimus Corpus S. Severæ Virginis & Martyris, cum ſuo antiquo lapide, ſepulcrali urnæ annexo; partem tamen Cranij ex ijſdem ſacris oſsibus eduximus, cujus particulam in loculamento Altaris, ut ſupra condidimus, reſiduum Vaſculo incluſum Eccleſiæ Arcis Sanctæ Severæ perpetuò addiximus.

Hîc ſilentio haud obvolvendam fore exiſtimavimus ſortem, quæ nobis contigit, integras eorumdem Sanctorum ſacras exuuias inſpiciendi. Etenim præcipiente f.me. Alexandro VII. Summo Pontifice unâcum Viceſgerente juridicæ earumdem Reliquiarum recognitioni interfuimus; cùm Arcula, in quâ ipſorum Sanctorum Corpora condita aſſerebantur, ex antiquo loculo nobis præſentibus amota, ſub Arâ maximâ Eccleſiæ S. Auguſtini Vrbis decentiùs fuit collocata. Et ſanè repertam oſſium parvitatem cum Fratribus admodùm admirati fuimus; quippe qui integra corpora inibi condita quieſcere putaremus. Ex ijs tamen modicis oſsibus, annuente Generali Magiſtro Lanfranconio, mox Epiſcopo Interamnenſi, Viceſgerens particulam eduxit, eamque nobis cum documento attribuit, quam Baſilicæ Vaticanæ pro noſtrâ in eamdem religione dono dedimus. Nuper verò antiquo Altari in Eccleſiâ Sancti Spiritûs everſo, ut nouum ornatius ſufficeremus, reſiduam partem eorumdem Sanctorum Corporum vidimus, & coram

venerati ſumus. Verùm de his ſatis; ne ſi ſermonem protrahamus, collati potiùs in Eccleſiam noſtram exigui munuſculi memoriam refricare videamur, quàm (ut animum intendimus) rem gratam pijs noſtris religioſis Canonicis Regularibus faciamus, ſi præſens opuſculum legentibus de Eccleſiâ, ac Religione noſtrâ aliqua memoremus.

Dominicâ IV. Adventûs literarum Indictionis Iubilei euulgatio, Latino, & Italo idiomate per ſingulas periodos diſtincta, & eodem ritu, quo Bulla in Cœnâ Domini publicari conſuevit, in Quirinali repetita eſt. Lectores fuere Iacobus Emerix, & Marcellus Rondininus, Præſules doctrinâ, integritate, & honeſtate morum inſignes. Ad eos id munus ſpectabat, cùm Alexandri VII. juſſu, Romanæ Rotæ Subdiaconorum Apoſtolicorum officium acceſſerit. Hi acceptâ a SS. D. N. apud *Lectum Paramentorum* eaſdem literas publicandi facultate, Sanctitatis Suæ pedes oſculati, ad Portam Palatij principem deſcenderunt. Tùm Vice-Camerario, Theſaurario Generali, Præſidentibus Clericis, & Officialibus Cameræ Apoſtolicæ in ſubſellijs ibi paratis conſidentibus, ex cathedris hinc inde ad ejuſdem Portæ ingreſſum erectis, prævio, ac ſubſequenti tubarum, & tympanorum ſonitu, ac bombardarum exploſione in plateâ Quirinali, publicationem complevere.

His peractis, Curſores Pontificij duobus præfati Diplomatis exemplaribus ad ejuſdem Palatij fores affixis, primùm ad Vaticanam, exinde ad S. Pauli, Lateranenſem, & Liberianam Baſilicas equitarunt; apud quas eamdem euulgationem ſimili prorſus ſolemnitate Aſcenſionis feſto ſervatâ, ſolâ tamen Itali idiomatis adjectione ſuperadditâ, iterarunt.

Poſt Veſperas ejuſdem diei, Pontifex ex Quirinali

ad

Digitized by Google

ad Ædes Vaticanas ſe recepit,unde in pervigilio Nativitatis, omnibus ad ſolemnia Apertionis ritè peragenda jam diſpoſitis, horâ quaſi vigeſimâ, ſellulâ geſtatoriâ vectus, adivit cubiculum *Faldæ* (ut vocant) quam ibi de more induit, & ad Aulam *Paramentorum* contêndit. Ibi ſtans apud *Lectum*, tres Cardinales Legatos ad reſerandas Portas Aureas renunciavit. Ij fuere Franciſcus Barberinus, largâ in paupères benignitate, ac morum honeſtate conſpicuus: Flavius Chiſius, vir munificentiſsimus, & inſigni prudentiâ præſtabilis: Iacobus Roſpiglioſius, humanitate ingenitâ, & avitâ liberalitate conſpiciendus; ſinguli verò excelſo animo, & omni virtutum, ac ſcientiarum genere ornatiſsimi. Primus ſcilicèt Sacri Collegij Decanus, Epiſcopus Oſtienſis, in cujus Diœceſi ſita eſt Eccleſia S.Pauli, & Ordinis Caſinenſium Protector, ad quem ſi Decanus Româ abeſſet, vel is alterius ex Baſilicis Lateranenſi, & Liberianâ Archipresbyter exiſteret, hujuſmodi apertionis munus ſpectaret, ut alibi ſupra demonſtravimus; alij duo S. Ioannis, & S.Mariæ Majoris Archipresbyteri. Eos proinde Pontifex, vernaculâ tamen linguâ, uti moris eſt, ita allocutus fuit: *Declaramus Dominationes veſtras noſtros a latere Legatos, ad aperiendas Portas Aureas S.Pauli, Lateranenſem, & S.Mariæ Majoris: ipſis ad hæc agenda opportunas, & neceſſarias quaſcumque facultates, ac præterea ad plenariam indulgentiam præſentibus elargiendam tribuentes.*

Subinde Sanctitate Suâ amictu, albâ, cingulo, ſtolâ pluuiali albo, formali, & mitrâ indutâ, ac præcedentibus ſeptem Votantibus Signaturæ Iuſtitiæ Acolythis cereos accenſos in totidem candelabris, deferentibus, nec-non Felice Vbago S.Rotæ Auditore Subdiacono Apoſtolico tunicellâ amicto, Crucem geſtan-

te,

te; ſupplicatio ad Sixti IV. Sacellum inſtituta. Vbi Pontifex ad Altare pervênit,è ſella deſcêndit, ac in ſupremo ejuſdem Altaris gradu ante Sacro-ſanctam Euchariſtiam ſubmiſsis genibus oravit. Interim ijs omnibus, qui ſacris veſtibus erant induti, Protonotarijs,Ordinumque Mendicantium Generalibus Miniſtris cerei per cæremoniarum Magiſtros diſtributi, & per Capellæ Clericos accenſi.

Pontifex verò ad cornu Epiſtolæ ſe recepit, & thure in thuribulum impoſito, iterum genuflexus, venerabile Sacramentum thurificavit, atque Conſtantinopolitano, & Alexandrino Patriarchis librum,& candelam miniſtrantibus, dextrâ cereum accenſum ſuſtinens, ut tantæ rei benè gerendæ felix initium, fauſtumque auſpicaretur,præcinuit Hymnum:*Veni Creator Spiritus*, quem Cantores concinnâ modulatione proſecuti ſunt. Abſolutâ primâ ſtrophâ, Pontifex ſurgens, ſellam geſtatoriam conſcêndit, & mitrâ redimitus, iterum thus in thuribulum in ſupplicatione adhibendum immiſit,cereumque ſiniſtrâ tenens,dextrâ populo benedicens, ad Baſilicæ Porticum deductus eſt.Vmbella ab Oratoribus Galliarum, & Venetorum, ac a Nepotibus Suæ Sanctitatis, Solij(ut vocant) Principibus, de more uſque ad infimum ſcalæ majoris gradum, ſeu nunc Conſtantini areolam,indeque a Referendarijs rochetto, & mantelletto indutis ad Baſilicæ atrium elata. Præterea a Portâ Palatij principe,flabellis hinc inde elevatis, Pontifex ab aëris inclementiâ tectus.

Cardinales Legati, qui proximiores Diaconis Aſſiſtentibus uſque ad prædictam Portam Sanctitati Suę famulati fuerant, petitâ abeundi facultate, non procul inde mulas conſcenderunt, ac cappis, & galeris Pontificalibus redimiti, ſolemni pompâ, ac innume-

Digitized by Google

ro Cardinalium, & Oratorum familiarium, nec-non frequenti nobilium, Dynaſtarum, & Prælatorum comitatu ad injunctum munus obeundum equitarunt:

Præibant Tibicines: ſuccedebant duo Legatorum familiares, hippoperas purpureas portantes: Oratorum, & Cardinalium familiares, digniori autem loco Legatorum ſervitio addicti, eorumque Caudatarij, veſtibus, & caputijs violaceis ornati. Sequebantur Tympaniſtæ Populi Romani pedites: Viri nobiles, & Magnates. Veniebant poſtea Legatorum Clavigeri cum clavis per forum Vaticanum demiſsis, ac inde ad Baſilicas erectis. Prope Cardinales Legatos equitare debebat Fulvius Servantius Cæremoniarum Magiſter; ſed is non optimâ fruens valetudine, rectâ ad Baſilicam S. Pauli perrexit. Solemnem hanc pompam coronabant Cardinales Legati, longo circumpedum agmine ſtipati; quorum duo cujuslibet Legati, baculos auratos de more geſtabant. Poſt Cardinales Epiſcopi, & Prælati rochettis, mantellettis, & galeris ſemi-pontificalibus decorati: ac demum magnificentiſsimi Legatorum currus equitatum claudebant. Duo ænea mortaria pro unoquoque ex Legatis, dum ij per Arcem Sancti Angeli pertranſibant, exploſa.

Vbi ventum eſt ad radices clivi Capitolini, unuſquiſque Legatorum, ſalute datâ, acceptâque, idoneâ ac breviori viâ, quæ ad ſuas Baſilicas ducebat, iter confecerunt. Cardinalis Barberinus dextrâ per viam Monaſterij Turris Speculorum ad Baſilicam Oſtienſem: Cardinalis Chiſius per eumdem clivum Capitolinum ad Lateranenſem: Cardinalis Roſpiglioſius, viâ, quæ ſub Aracælitanæ Eccleſiæ gradus ad lævam flectit, ad Liberianam equitarunt. Singuli verò pompâ quidem inſigni, pro ſummâ eorum pietate, religione, ac munificentiâ, apertionis cæremoniam

&

& Pontificalium Veſperarum ſolemnia ritè obivere.

Hæc autem ſpecies, & ordo Vaticanæ proceſsionis. Omnium primi procedebant pueri orphani; deinde ſequebantur Fratres mendicantes, Monachi, Clerus ſecularis (nec exceptis Capitulis Collegiatarum inſignium) ſinguli ſuis diſtincti Crucibus. Verùm prout egrediebantur è Porticu, Palatio Pontificio hærente, obeliſcum verſus eundo, & inde ad dexteram flectendo, rectâ ad exteriores Baſilicæ Atrij cancellos, duplicem hinc inde lineam texentes, alij alijs antiquitatis, ac dignitatis ordine ſervato, ſuccedebant. Ita quidem, ut infimi proximiores Palatio, digniores Baſilicæ foribus magis vicini ſiſterent, a longo militum agmine ex utrâque parte vallati.

Inter ſtantem Vrbis Clerum incedebant S. Conſiſtorij Advocati: Capellani, & Cubicularij Papæ conſuetis veſtibus, & caputijs induti: Abbreviatores: Votantes Signaturæ Iuſtitiæ: Clerici Cameræ: & Romanæ Rotæ Auditores Subdiaconi Apoſtolici, rochettis & ſuperpelliceis amicti. Inter ſeptem candelabra a poſtremis Acolythis accenſis cereis delata, Crux Pontificia eminebat. Eam præcedebat Thuriferarius Votantium Signaturæ Decanus, antiquior Acolythus Apoſtolicus: Sequebantur Patres Pœnitentiarij Sancti Petri caſulis; Epiſcopi, & Archiepiſcopi non Aſsiſtentes; deinde Præſules omnes Papæ Aſsiſtentes, pluuialibus, & mitris lineis; tum Cardinales Diaconi tunicellis; Presbyteri Cardinales, planetis; & Cardinales Epiſcopi pluuialibus, ac mitris damaſcenis ornati. Poſt hos Orator Bononienſis, Conſervatores Vrbis, Principes Solij, Oratores Principum, & Gubernator Vrbis. Intermixti verò præibant plurimi nobiliores, & Dynaſtæ Romani, Pontifici famulatum exhibentes. Prope Pontificem duo

Cardinales Diaconi Aſsiſtentes, & duo Auditores Rotæ ad fimbrias ſuſtinendas progrediebantur. Poſtremò Summus Pontifex, ſublimi eminens ſellâ: & umbellâ, uti diximus, obtectus. Poſt Pontificem, inter duos Cubicularios aſsiſtentes, Rotæ Decanus mitram, cùm Papæ detrahitur, ſuſcepturus. Demum proceſsionem claudebant Auditor Cameræ, Theſaurarius Generalis, Protonotarij Apoſtolici, cæterique ijs additi, ac Generales Miniſtri, & Procuratores Ordinum mendicantium, a pleriſque militibus Helvetijs hinc inde incedentibus, & a levis armaturæ equitibus ſtipati; qui irruentem inſequentis populi turbam ſubmovebant.

Hac ſpecie religioſæ pompæ Pontifex in Atrium delatus, juxta Throni gradus ſellâ deſcêndit, & in paratum ſibi Solium ſe recepit. Cùmque paululùm quieviſſet, ad Portam Auream acceſsit, eamque dimiſſo cereo, & accepto malleo è manibus Cardinalis Alterij Majoris Pœnitentiarij, ter percuſsit, occinens ad quemlibet ictum: *Aperite portas &c.* tertio demum ictu validiùs impreſſo, Pontifex ad ſolium redijt: & Cardinalis Alterius Portæ fracturam abſôlvit. Vbi autem & is receſsit, momentò Porta corrûit in axem rotis innixum, quem Fabricæ cæmentarij cum cæmenti, ac laterum reliquijs inde illico amoverunt. Sex Pœnitentiarij cum ſpongijs aquâ luſtrali madefactis (quâ ipſo manè a Sacriſtâ ritè expiatâ, plenum vas argentatum in ſiniſtro ejuſdem Portæ Aureæ latere extabat) poſtes, & limen abluërunt: alij linteis exterſerunt.

Interea Pontifex apud ſedem mitrâ depoſitâ, allatiſque ſibi libro, & candelâ, cecinit Orationem, *Actiones &c.* Eâ abſolutâ, mitratus ſedit, & Cantores Pſalmum *Iubilate Deo*, modulatè recitarunt. Tum

Sanctitas Sua iterum depoſitâ mitrâ, ſurrexit, & miniſtratis ſibi libro, & candelâ, præcinuit ℣. *Hæc dies &c.* cum oratione, *Deus qui per Moyſem* &c. demum reſumptâ mitrâ ad Portam Auream rediјt, & ſuper illius limine (paraverat ibi *Florerius* paruum tapete, & pulvinare ex ſerico, auroque textili confectum) mitrâ detectus genuflexit, & dexterâ Crucem Subdiaconi, ſiniſtrâ cereum tenens, intonuit Hymnum. *Te Deum laudamus*, quem Cantores jucundâ modulatione cecinerunt: Pontifex, intonato Hymno, ſurrexit, ac per Portam Auream primus omnium Baſilicam ingreſſus eſt. Interea tubarum cantus, tympanorum ſonitus, tormentorum ſtrepitus, tum ex Adrianæ molis Arce, tum ex Baſilicæ Vaticanæ foro, feſtiuuſque omnium campanarum pulſus, adſtantes ac univerſam Vrbem inenarrabili animi jucunditate replevere.

Summum Pontificem ſequebantur duo Diaconi Cardinales Sanctitati Suæ Aſsiſtentes, anteriores faldæ & pluuialis: mox duo Cubicularij Aſsiſtentes, poſteriores fimbrias elevantes, & Vbago Subdiaconus. Succedebant Cardinales, bini, à dignioribus incipiendo, poſtes portæ devotè oſculantes: ſubinde Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Pœnitentiarij, & reliqui, conſueto antiquitatis, ac dignitatis ordine ſervato. Quàmvis autem adſtantium multitudo cohiberi non potuerit, quin inter Cardinales, & Prælatos plurimi ſeſe immiſcerent, neminem vidimus, vel audivimus confertâ turbâ compreſſum vel vocem edidiſſe; Vigiles enim erant Helvetij milites, ne quid tumultûs accideret. Itaque ſacra cæremonia decoro ritu, nec apice intermiſſo, divino favente Spiritu cujus opem Sanctiſsimus imploraverat, abſoluta. Pontifex Baſilicam ingreſſus, in ſellâ geſtatoriâ ſibi apud Altare in Sacello Sanctiſsimi Crucifixi paratâ

ſedit,

Digitized by Google

ſedit, & accitis militibus Sancti Petri, & Sancti Pauli injunxit, ut Portas Aureas earumdem Baſilicarum Sanctorum Apoſtolorum, Iubilei anno accuratè cuſtodirent, ne apud illas aliquid minùs honeſtum; aut inordinatum perpetrari contingeret. Inſtitutâ mox iterum ſacrâ ſupplicatione, Sanctiſsimus ſede geſtatoriâ ſub umbellâ a Referendarijs delatâ vectus eſt ad Sacellum Sanctiſsimi Sacramenti, quod decenti luminum apparatu expoſitum adoravit.

Tabernaculum ibi nuper extructum inſpexit, columnis æneis,& Apoſtolorum ſimulacris undique auratis, lapidibus cæruleis pretioſis cruſtatum, cælatumque: duobus prætetea hinc inde poſitis Angelis, pariter æneis auratis,flexo poplite Sacramentum quaſi adorantibus,exornatum.Opus Equitis Ioannis Laurentij Bernini,viri noſtrâ hac ætate celeberrimi,qui in eâ æris,aurique mole, admirabili ſanè complexu conflavit quicquid architectoriæ,ſculptoriæ,fuſoriæ, cruſtariæ, nigellariæ, plaſticæ, ac gemmariæ artes ad majeſtatem impertire,& ad ornatum conferre potuerunt. Omnium itaque oculi, ac intuentium animi adeò ad ſtuporem rapiuntur,ut nemo ſpectator acceſſerit, quin admirator redierit.

Facto orandi fine, Sanctiſsimus annorum pondere magis quàm ſacræ actionis feſſus labore, quippe qui ad divinorum exercitia obeunda prompto animo polleat, Veſperis præſentiam exhibere poſſe planè diffiſus eſt. Proinde dimiſsis prope genuflexorium mitrâ & pluuiali, ſellulam conſcendit, & ad interiora cubicula ſe recepit. Cardinales verò, & Prælati, utì erant, ſacris veſtibus induti, apud Aram Templi principem, officium, a Cardinali Vrſino Epiſcopo Albanenſi peractum, devotè attenderunt.

Inter hæc Sacra Regalis Suecorum Reginæ Maje-

ſtas ex Podio per oſtium, ibi ad hanc rem aptè apertum, a pleriſque Helvetijs cuſtodiæ Pontificiæ ſtipata, in aream actæ cæremoniæ deſcendit: & Baſilicam ingreſſura, ſuper limine Portæ Sanctæ in genua devotè provoluta, illud ſummo, & quidem regio pietatis ſenſu oſculata eſt; ne quid deeſſet nobis, quod anteactis ſeculis invideremus, nempe vel Caroli Magni Imperatoris religionem, quâ ille ſingulis Vaticanæ Baſilicæ gradibus devota fixit oſcula: vel Chriſtierni, Succorum, & Ludovici Hungariæ, Regum, in eamdem Baſilicam venerationem, quâ dum Romæ Iubilei anno moraretur, eam quotidie inviſit, ac ibi ſolemni ſacro interfuit; prout eadem pietatis officia ipſa quoque non ſemel religioſiſsimè præſtitit. Demum poſtquàm ante Aram Sanctiſsimi Euchariſtiæ Sacramenti, & Principis Apoſtolorum Confeſsionem preces fudiſſet, Baſilicâ egreſſa, rhedam conſcendit in inferiori veſtibuli Vaticani areolâ; ad quam Pontificio dumtaxat, ac Imperatorum, & Regum vehiculis aditus pateſieri conſuevit. Illam comitatus eſt Sacri Palatij Præfectus, qui Summi Pontificis juſſu Majeſtatem ſuam ad Regium Podium obſequens exceperat: eidemque ſacram actionem ſpectanti aſtiterat. Ex eo autem quòd mandaveramus, ut milites in veſtibulo, & foro diſpoſiti uſque ad Reginæ diſceſſum ſtationes agerent; propterea abſq; ullo minimo tumultu Majeſtati ſuę foro egredi Vaticano licuit.

Anaſtaſ. in vit. Adriani. Volaterr. & alij relati ſupra pag. 138. Bzou. to. 14. ann. 1350.

Cùm denique de auguſtiori re, vel ſaltem æquè ſublimi haud verba ſuperſint; ne ſermo decreſcat, ſilendum potiùs, quàm ad inferiora delabi, operæ pretium exiſtimavimus. Ideòque ad coronidem hujus Diſſertationis quædam tantummodò dignè ſubijcicimus de Numiſmatibus, ſub ipſius anni initium egregiè cuſis, ac in uulgus productis.

In

Digitized by Google

In primo, ex unâ parte effigies Pontificis Regno redimiti, nomenque ita inſcriptum: CLEMENS X. PONT. MAX. AN. V. ex alterâ, Templi Vaticani facies, Ædeſque Pontificiæ illi hærentes: ſuper-inducto lemmate: FLVENT. AD. EVM. OMNES. GENTES. In Baſilicæ faſtigio Fama volantis more, tubam inflans, dextrâ eamdem tubam, lævâ tabellam ſuſtinens, his literis inſculptam: IN SPLENDORE STELLARVM. Alterum, ex uno latere, eaſdem prorſus effigiem, & literas præfert: ex alio, a dextrâ, Pontificem ſacro Purpuratorum Senatu ſtipatum, Portam Sanctam reſerantem: lævâ advenas, & peregrinos ante illam genuflexos, ejuſdem Portæ ruentis lateres pro religione ſumere ſatagentes, repræſentat; ſuper-impoſitis verbis: DOMVS. DEI. ET. PORTA. COELI. in imâ parte, hæ notæ annum indicantes inſpiciuntur: 1675. Alterum, ſed minus, hinc continet Pontificis effigiem, & nomen proximè recenſita: inde exprimit Pontificem, Cardinalium cœtu, & cuſtodiarum turmâ ſeptum, Portam Auream aperientem, ſuper-inſcriptis literis:

APERVIT DOMINVS THESAVRVM SVVM. infra ſuppoſitis notis:

MDCLXXV.

INDEX

INDEX RERVM.

A

Abbreviator de Curiâ ab Anno Iubilei MDC. ad præſens Diploma Indictionis promulgare cõſuevit feriâ v. Aſcenſionis Dominicæ. pag.191. 203.220.235.243.

Abbreviatores de Parco maiori Dominicâ iv. Adventûs euulgationem Diplomatis Indictionis iterarunt.180.& 191.

Abſoluendi ab hæreſi facultates conceſſæ Tribunali Sanctiſſimæ Inquiſitionis, Miſſionarijs, aliiſque, ac Miniſtris Congregationis de Propagandâ fide, durante Iubilei anno minimè ſunt ſuſpenſæ. 237.238.

Acolythi Capellæ Pontificiæ Diploma Indictionis promulgarunt Dominicâ iv. Adventûs. 152. 160.166.

Advocatorum S. Conſiſtorij Decanus Carolus Cartharius laudatur.42.

Æthiopiæ Oratores præſentes Canonizationi S. Bernardini Senenſis anno Iubilei MCCCCL.134.

Agapes Ethnicorum a Summis Põtificibus abolitæ ſubrogatione celebritatis S. Petri ad vincula, epularum proinde dictæ. 56.57.

Albatorum hæreticorum quorumdam religioſorum agmen a Bonifacio IX.extinctum. 127.

Albertus Princeps Friderici Imperatoris Electi germanus frater enſe,& galero ſacræ militiæ inſignijs decoratur.135.

Alexander III. Friderici Imperatoris audaciam repreſſit. 15.

Alexander VI. ſummum vitæ diſcrimen ſubijt.148.149.

Alexander VII. magnificentiſſimam Porticum è Tiburtino lapide in Areâ Vaticanâ excitavit.233.234.

Ejus in Authorem munificentia. 247.

Altararij Baſilicæ Vaticanæ munus antiquum.87.

S.Andreæ caput Pij II. ſtudio ad Vrbem delatum.205. 206.

Angliæ Regi Richardo Regni negocijs implicato, ejuſque vxori Bonifacius IX.Iubileum indulſit.121.

Angliæ in Regno pro Camerâ Apoſtolicâ Collector, & Nuncius Pontificius Simeon de Teramo. 129.

Angliæ in Metropoli Eccleſiâ Cãtuarienſi ab Archiepiſcopo, & Capitulo Iubileum indictum illegitimâ auctoritate,revocatur. 129.130.

Anglis Catholicis certâ lege Gregorius XIII. Iubileum indulſit.189.

Ejuſque Nationis, Scotiæ, & Hiberniæ peregrinis Franciſcus

Car-

Digitized by Google

Cardinalis Barberinus anno MDCXXV. *hoſpitium Romæ paravit; ſubſidia tum ad privatam indigentiam, tum in rem Religionis tuendam diſpertijt*. 204.

S. *Antoninus Iubilei celebritates a Bonifacio* IX. *& a Martino* V. *peractas prætermiſit*. 104. *obijt anno* 1459. *ſeptuagenarius*. 129

Apertionis Portæ Sanctæ ritus. Vide *Porta Sancta*.

Apoſtolorum Petri, & Pauli trophæa, quibus communitur Romana Eccleſia recenſentur. 71. 72.

Apoſtolorum liminum viſitatio antiquiſſima. 83. 84.

Ea viſitare tenebantur Epiſcopi propinqui ſingulis annis, alij pro locorum diſtantiâ ſingulis biennijs, quinquennijs, ac decennijs. 73.

Pro felici progreſſu Concilij ea viſitantibus a Paſchali. II. *indulgentiæ propoſitæ*. 14.

Apoſtolorum Sepulchrum in Vaticano ſemel ſaltem in vitâ negligens viſitare, Chriſtianus non cenſebatur. 54.

Aquæ luſtralis cum ſale admixtio apud Gentiles in vſu fuit: mox ab Eccleſiâ Catholicâ in melius immutata, ab Alexandro I. *& a Concilio Nannatenſi probata*. 57. *&* 59. *eaque in ingreſſu Eccleſiæ poſita*. 57.

Eâ Civitates Leonina, & Leopolitana a Leone IV. *expiatæ*. 57.

Ejus uſus miraculo comprobatus. 58. 59.

Ac proinde Litanijs rogationum adjectus. 59.

Aragonum, & Vaſconū Regis Garciæ in Vrbem adventus. 43.

Arca veteris teſtamenti quid in ſe contineret? 72.

Armenorum Patriarcha Iubilei anno ad Vrbem. 172.

Aſſiſienſis Templi Deiparæ Angelorum ſacri indulgentias, Portiunculæ nuncupatas, quas D. Franciſcus a Deo obtinuiſſe aſſerebat, Honorius III. *probavit*. 15.

Eædem Iubilei anno non ſuſpenſæ. 235.

Auditor Rotæ Clementis VIII. *Euchariſtiæ Sacramentum deferentis oculos vim lacrymarum profundentes in proceſſione Corporis Chriſti ſudariolo aſſiduò tergebat*. 194.

Auditores Rotæ ob annexum Subdiaconatûs Apoſtolici munus Dominicâ iv. Adventûs publicant Diploma Indictionis. 238. 252.

Auguſtini de Angelis, ac aliorum errores in ſupputatione annorum Iubilei. 105. 124. *&* 125.

de Auguſtinis Archiepiſcopus Heraclcñ maior Papæ Eleemoſynarius laudatur. 234.

Auſtriæ Archidux Leopoldus in Vaticanis Ædibus hoſpitio exceptus, ſacrâ communione reficitur, prandet cum Pontifice, & clauſuræ Portæ aureæ intereſt. 217.

Author

*Author amicorum importunis precibus acquieſcens lucubrationes haſce typis dari permittit.*233.

Idem ab Vrbano VIII. *Innocentio* X. *Alexandro* VII. *& Clemente* X. *muneribus cumulatur*. 86.233.246.247.

*Non approbat ritum pro Cardinalibus Legatis ad aperiendas Portas aureas a Firmano editũ.*171.

Quæ ad ejuſmodi ſolemnia pro dignitate explenda parari juſſerit, diſtinctè deſcribit. 243. *& ſeqq.*

Aram principem Eccleſiæ S. Spiritûs in Saxiâ ſuo ære extructam, ornatamque ritu ſolemni conſecrat, reliquijs auget. 250. 251. 252.

B

B*Accanalia Iubilei anno primũ vetita a Gregorio* XIII. *& braviorum pretium in pios uſus erogatum.*183.

Banderiſij Vrbe pelluntur, Bonifacio IX. *imperante*. 123.

Baptiſmi effectus ſalutares. 66. *ac mirabiles.*111.

Bavariæ Ducibus, eorumque vaſſallis Bonifacius IX. *Iubileum impertivit, pijs operibus injunctis.*121.

Principum eorumdem in Vrbem adventus Iubilei anno. 185.

*Princeps Erneſtus a Gregor.*XIII. *malleo argenteo donatur.*182.

*Dux habitu peregrini indutus cum ſuis nobilibus familiaribus in Hoſpitio Sanctiſſimæ Trinitatis communi peregrinorum menſæ aſſidet, & cœnat Iubilei anno.*165.

*Beliſarius de ſpolijs VVandalorum dona obtulit Baſilicæ Vaticanæ.*91.

S. Bernardinus Senenſis a Nicolao V *recurrente Iubilei anno Sãctorum faſtis adſcriptus.*134.

*Præſentibus Æthiopiæ Regis Oratoribus, S. Didaco, Beato Ioãne a Capiſtrano cum ter mille octingentis Fratribus minoris obſervantiæ.*134.

*Bernardinus Roccius Archiepiſcopus Damaſcenus, Præfectus S. Palatij laudatur.*234.

*Bibliotheca celeberrima Franciſci Cardinalis Barberini memoratur.*132.

S. Birgittæ revelatione contractum tempus Iubilei a Clemente VI. *ad quinquageſimum annum.*60.

*Eadem cum Catharinâ ejus filiâ ad Vrbem.*115.

Bohemiæ Regi VVenceslao Iubileum Pragæ celebrandum indulſit Bonifacius IX. *& quare?* 121.

*Bona, quæ ſunt alicui multitudini communia, ejus arbitrio diſtribuuntur, qui multitudini præeſt.*28.

Bonifacius VIII. *an reſtaurator, vel Inſtitutor Iubilei ſecularis aſſerendus videatur?* 107. *& ſeqq.*

Bonifacius IX. *ſemel tantùm Iubileum*

Digitized by Google

bileum celebravit, & cur Romā digreſſus, mox ad eam regreſſus fuerit? 122. 123.

Bononiæ Iubileū inſtitutum a Sixto IV. 139.

Boſſinæ Reginæ ad Vrbem adventus, ejuſque obitus, ac depoſitio. 138.

Brevium Secretarius. Vide *Secretarius.*

C

CÆremoniale antiquiſſimū idem ac Ordo Romanus. 45.

Cæremonialis moderni opus alienū, ſuum aſſeruit Marcellus Epiſcopus Corcyrenſis. 45. 103.

Cæremoniæ in reſeratione Portæ aureæ ab Alexandro VI. *probatæ, mox reformatæ, & a Succeſſoribus obſervatæ.* 157. 158. 159 167. 170. *& ſeqq.*

Cæremoniarum Magiſtro injuncta perluſtratio Eccleſiarum Vrbis, ad effectū videndi, an aliqua deſiderarentur. 164. 236. *Idem Bullam indictionis evulgat.* 179.

Cæſar Cardinalis Baronius laudatur. 46.

Cæſar Cardinalis Raſponius laudatur. 12.

Campanarum pulſus in meridie a Calliſto III. *primùm inſtitutus, ab Alexandro* VI. *inſtauratur, & quare?* 149.

Earum pulſus per triduum ante pervigilium reſerationis Portarum aurearum decretus, & obſervatus. 208. 224. 250.

Candelarum nuncupata celebritas a Gentilium ſuperſtitione, in cultum Purificationis Beatiſs. Virginis immutata. 59.

Canonicorum regularium Eccleſiam Venetijs Alexander III. *indulgentijs ditavit.* 15.

Canonizatio S. Suviberti Epiſcopi Monaſterienſis. 13.

S. Bernardini Senenſis. 134.

S. Eliſabethæ Reginæ Luſitaniæ. 215.

Cantor Capellà evulgat Indictionis Diploma. 179.

Cantus Hymni Te Deum *incuriā Cantorum omiſſus.* 146.

Capellæ Pontificiæ miniſtris facultas tributa eligendi Confeſſarios ex approbatis. 147.

è Capiſuccā nobili proſapiā, ortus Paulus Epiſcopus Neocaſtrenſis Vrbis Vicarius, Ioannis Antonij Cardinalis Patruus: ac floret nunc Fr. Raimundus Magiſter Sacri Palatij avitæ pietatis, & doctrinæ æmulator. 152.

Cardinales Legati ad aperiendas Portas aureas ubi nam declarandi? 166. 167. *Duo Cardinales, & Archiepiſcopus Raguſinus Legati renunciati ad aperiendas Portas aureas trium Baſilicarū.* 144.

Ad claudendam verò Portam Vaticanam duo Cardinales, ad Lateranenſ, & Liberianam Archipresbyteri, ad S. Pauli nemo, adlecti. 149. *Eorum inſtructio* 170. *& ſeqq.* 176. *& ſeqq.*

Ad portam S. Pauli aperiendam *ob*

ob abſentiam Epiſcopi Oſtienſis renunciatus eſt Legatus Epiſcopus Portuenſis Protector Caſinenſium. 153.154.

Quinam a Iulio III. *Legati renunciati ad claudendas Portas aureas a Cæremoniarum Magiſtro non expreſſi, qui ue crediti ab Authore?* 157.

Subrogati Archipresbyteris abſentibus, vel impeditis. 181. 188. 224.

Ad claudendas Portas reclamante Cæremoniarum Magiſtro ante pervigilium Natiuitatis priuato chirographo renunciati. 188.218 229.230.

In Aulâ Paramentorum adlecti. 192.193.199.208.209.224. *&* *ſeqq.*

Eorum equitatus ad Baſilicas contendentium. 224.225. 254. 255.

Lantes Cardinalis Decanus curru vectus ob ſummam ſenectutem ad aperiendam Portam Sanctam Baſilicæ S. Pauli contendit. 254.

Cardinales omnes admoniti, ne anno Iubilei Româ diſcedant, abſentes ad eamremigrent. 142.

Vt Eccleſias Titulares reſtaurent, in eis natalitia Titularium celebrēt. 164.181.221.230.*&* *ſeqq.*

Ne ſimul omnes unâ die conveniant in viſitatione Baſilicarum, ſed ut dietim aliqui eas perluſtrent, admoniti. 164.

Vt pontificaliter equitantes ad Capellas pontificias accedant. 181.

In Oratorio S. Marcelli ſextis ferijs menſis Martij ſermocinati fuerunt. 229.

Eorum pietas, & munificentia erga pauperes peregrinos. 229.

Cardinalis Pœnitentiarius. Vide *Pœnitentiarius.*

S. Caroli Cardinalis inſignis religio in perluſtrandis Eccleſijs, & quid de illo ſenſerit Dux Parmę? 184.

Presbyteris tantùm Eccleſiæ dantur in titulum, Diaconis verò in Diaconiam. 232.

Creſcentius Legatus de latere ad Concilium Tridentinum. 173.

Dictrichſtainus, Guevara, & Deza in Epiſcopos a Pontifice conſecrati. 197.

Carolus Caluus Galliarum Rex dona obtulit Baſilicæ Vaticanæ. 93.

Carolus Cartharius Advocatorū S. Cōſiſtorij Decanus laudatur. 42

Carolus de Comitibus Dux Poli, Magiſter S. Apoſtolici Hoſpitij laudatur. 248.

Carolus Magnus coronâ imperiali ſumptâ munera obtulit Baſilicæ Vaticanæ. 91.92.94.

Caroli, Regis Galliarum fratris in Vrbem adventus. 109.

Caſemarij Monaſterij Eccleſiam cōſecravit, ac indulgentijs auxit Honorius III. 15.

Caſtellæ Regi, Reginæ, ac Magnatibus Iubileum indultum. 139.

Caſtrum S. Angeli duplici mortariorum exploſione unumquemq; ex Cardinalibus Legatis ſalutat. 225

Et

Digitized by Google

Et in apertione Portæ aureæ Vaticanæ, & ſequenti manè ad ſolemnem benedictionem bombardas, ac mortaria explodit: 250. 258.

Cathedra S. Petri utraque ſolemnitas olim convivijs: at ſubinde ſublatis convivijs ſejunctim celebrata. 57.

Chriſti beneficia immenſa in genus humanum. 1.7.

Ejus intentio ſatisfaciendi pro nobis exploratiſſima. 7.

Ejus ſanguinis guttula ſatis ſuperque ad redimendas animas innumeras. 3.

Ne inanis redderetur ejus effuſionis miſeratio, in theſauro Eccleſiæ repoſita. 3.

Eum inter Deos referre Tiberius Imperator decreverat; at Redemptor ipſe ſocietatem dæmonum, ſuorumque fidelium cum idololatris conſenſum deſugit. 68.69.

Chriſtianorum ad piſces comparatio. 32.

Iis ut nihil commune eſſet cum Iudæis, Paſcha ad Dominicam proximam Lunæ decimæquartæ Martij deducta. 77.

Chriſtina Alexandra Suecorum Reginæ præconia. 244.246.

Ejuſdem pietas in ſpectandâ cæremoniâ apertionis Portæ aureæ Vaticanæ. 244.246.

Ejuſque religio in ingreſſu ejuſdem Portæ aureæ. 259.260.

Clemens VI. *quinquageſimi reductione decretâ Iubileum celebravit annum* MCCCL. 113. *& ſeqq.*

Clemens VII. *Iubileum indixit, & celebravit annum* MDXXV. 152. *& ſeqq. Sacris operatus fuit.* 156

Poſt biennium ab electione in Summum Pontificem Iubilei anno ſolemni equitatu Lateranū adivit. 156.

Clemens VIII. *Iubileum indixit, & celebravit annum* MDC. 191. *& ſeqq. Ejus inſignis pietas laudatur.* 193.196.197.

Peregrinorum indigentijs ſedulò ſtuduit, ac Hoſpitium Epiſcopis, alijſque Eccleſiaſticis viris erexit; quibus ibi, ac in Xenodochio Sanctiſſimæ Trinitatis alijs plurimis pedes lavit, & ad menſam miniſtravit. 192. 194.

Podagrâ, & chiragrâ vexatus ſacris operatus eſt. 193.194.

Trecenta circiter millia nummorum in pauperum ſubſidia erogavit. 200.

Quotidie duodecim pauperibus ad menſam in Palatio Apoſtolico inſervijt. 198.

Noctu è lecto ſurgens cum paucis intimis familiaribus ad Corpus B. Petri pergebat, & ibi in aurorâ ſacrum faciebat. 198.

Centenis Confratribus Sodalitatis S. Benedicti Florētiæ ſacrâ communione refectis, cibum temporale exhibuit: ipſe unà ſimul comedit. 198.

Octogenarius podagrâ excruciatus bis in hebdomadâ jejunabat, quan-

Digitized by Google

quandoque ſolo pane, & aquâ contentus. 196.
Vltra quinquagies quatuor Eccleſias perluſtravit, ſtipem peregrinis pauperibus proprijs manibus diſpertiens. 193.
Sexies ſeptem Altaria Baſilicæ Vaticanæ viſitavit, duodecies in alijs Vrbis Eccleſijs Miſſæ ſacrum confecit. 194.
Pluries Scalas Sanctas non ſine lacrymis flexis genibus conſcēndit: frequēns benedictionē ſolemnem populo impertivit. 193. 196
Inde ducti triginta ſex viri Lutheranam hæreſim palàm abjurarunt. 196.
Ad pacem cōciliandam inter Galliarum Regem, & Ducem Sabaudiæ Cardinalem Petrum Lutetiam Pariſiorum ablegavit, ac Florentiam miſit ad benedicendas nuptias Mariæ Mediceæ Galliarum Reginæ. 198.
Clemens X. quartus hujus nominis Iubileum indixit anu. MDCLXXV. & Portam Sanctam reſeravit. 233. ad fin.
Nouo fonte Aream Vaticanam ornavit. 233. 234.
Atrij Vaticanæ Baſilicæ pavimentum marmoribus luſtravit verſicoloribus. 234.
Iconam olim Giotti, Naviculam S. Petri exprimentem, teſſellato opere reſtituit. 234.
Sacelli Sanctiſſimi Crucifixi teſtudinem teſſellata opere figuris ornavit. 234.
Tabernaculum Sanctiſs. Sacramenti Conditorium mirificè excitari curavit 259.
Clericis modeſtia habitûs, & tonſuræ iniuncta. 164. 236.
Clerus Romanus, vacante per biennium Sede, Catholicæ Eccleſiæ proſpexit. 29.
Clerus uterque Vrbis a Cardinale Vicario cogitur apertionis Portæ aureæ Vaticanæ proceſſioni intereſſe, exceptis tantùm Monachis Caſinenſibus S. Pauli, & Capitulis, & Cleris Lateranenſibus, & Liberianis. 166. 238.
Cliviæ Ducis primogenitus ſedit in Capellâ poſt vltimum Diaconū Cardinalem. 182. 185.
Inſignibus militiæ pileo, & enſe donatus fuit. 182.
In Vaticanis Ædibus hoſpitio exceptus ægrotat, & a Pontifice extremâ vnctione linitus, moritur. 182. & ſeq.
Clodovei Francorum Regis munera ad Baſilicam S. Petri tranſmiſſa. 90. 91.
Communitates ditionis Eccleſiaſticæ Alexander VI. ad damna, peregrinis in earum territorijs illata, reſarcienda teneri voluit. 147.
Concilij pro felici ingreſſu, Paſchalis II. indulgentias Vaticanā Baſilicam viſitantibus conceſſit. 14.
Concilium Tridenti quādo inchoatum. 173.
Creſcentius Cardinalis eò Legatus. ibid.

Con-

Confeſſarijs, ſeu Pœnitentiarijs facultates tributæ a Iulio III. 163.
A SS.D.N.Clemente X. 239.
Conſervatores Vrbis ſu Romanis, nutibus Bonifacij IX. *admittuntur.* 123.
Conſtantini Magni munificentia erga Eccleſiam Romanam. 11.
Lateranenſem Eccleſiam extruxit. 12.
Vaticanam Baſilicam munificētiori ſtructurâ, ubi olim antiqua extabat, excitavit. 54.
Conſtantinopolitani Imper. Theophili filius ad Baſilicam Vaticanam dona tranſmiſit. 92. 93.
Ejus Imperium a Bajazete oppreſſum. 127.
Cruce-ſignatis a Bonifacio IX. *noxarum venia plenariè indulta, ac indulgentiarum ſtipendium propoſitum.* 127.
Cruciatæ militibus indulgentiæ conceſſæ, non comprehenſæ in generali ſuſpenſione. 235.
Alexander VI. *id ipſum præſtitit, Legatis a latere miſſis.* 151.
S. Crucis in Hieruſalem Sacellum ad preces S. Helenæ a S. Silveſtro conſecratum, indulgentijs auctum. 12.
Cubicularij intimi Alexandri VI. *Diploma indictionis evulgarunt.* 143.
Cypri Regina Carola Romam adventus anno Iubilei. 138.
Cyrilli Francbi error in aſſerendis Iubilei annis. 105.

D

Daciæ, ſeu Dania, & Angliæ Regis Romam adventus anno Iubilei. 43.
Dalmatæ cuiuſdam Ducis nonagenarij adventus in Vrbem pro cōſequendo Iubileo. 149. *Is ſtetit in ſolio ibidem.*
Die naturali tantùm, an etiam Eccleſiaſtico Baſilicarum viſitatio poſſit expleri Iubilei anno? 241. 242.
Dijs non tantùm ſimulacra, aras, & fana, ſed dies, menſes, & annos Ethnici dicare conſueverunt. 37.

E

Eccleſia Romæ fundata, morte Petri, iuſſu Domini, in Vaticano, univerſalis effecta. 78.
Ejus traditioni ſtandum. 27.
Ejus dominium temporale celebratur. 11.
Eccleſiæ Titulares a Cardinalibus reſtaurādæ præſertim anno Iubilei imminēte. 164. 232. 221. 237.
Eædem, ac reliquæ Eccleſiæ Vrbis dietim viſitandæ anno Iubilei, ne quid in illis deſit ad cultum divinum. 163. 164.
Eccleſiarum, ſeu Baſilicarum viſitatio Iubilei anno, an die naturali, vel etiam Eccleſiaſtico expleri poſſit. 241. 242.
Eleēmoſynarum arcula in Baſilicis exponendæ ſaltem tribus clavibus muniendæ. 165.

Enſis

Digitized by Google

Enſis & pileus benedicti dono traditi Alberto Principi Imperatoris fratri.135.
VVillelmo Duci Cliviæ.182.
Vladislao primogenito Regis Poloniæ.209.
Epiſcopi poteſtate delegatâ ab Apoſtolicâ Sede indulgentias diſtribuunt.28.
Ab antiquiſſimo tempore limina Apoſtolorum viſitare tenentur. 83.
Qui propinqui ſunt olim unoquoquo anno.73.84.
Mox non adeò frequenter, & pro locorum diſtantiâ.73.
Nomina Martyrum paſſorum in eorum Diœceſi olim in ſacris dypticbis imponebant.28.29.
Etruriæ Magni Ducis fratres germani ad Vrbem Iubilei anno MDCL. ſacco induti in Xenodochio Sanctiſſimæ Trinitatis Pontifici lavanti pedes peregrinorum famulati ſunt.228.
Euchariſtiæ Auguſtiſſimi Sacramenti feſtum quotannis univerſim celebrandũ inſtituit Vrbanus IV. ductus miraculo, Vulſinij Vrbevetanę Diœceſis ſecuto. 16.17. & ſeqq.
Ejus celebritatis Miſſa, & Officium a Divo Thomâ Aquinate compoſita.19.
Auguſtiſſimum Sacramentum Sacerdotibus deportantibus, ac idem per viam adorantibus indulgentiæ propoſitæ.23.

F

B. Felix a Cantalicio Beatorum cultu donatus.215.
Ferrariæ Marchionis Alberti inſignis in Vrbem adventus anno Iubilei.122.
Feſtorum dierum obſervatio rigorosè injuncta.165.
Flavius Cardinalis Chiſius laudatur.253.
Franciſcus Cardinalis Albitius laudatur.232.
Franciſcus Cardinalis Barberinus laudatur. 132. 203. 204. 253. Legatus ad utrumque Regem.212.
Ejus Bibliotheca celeberrima aſſeritur.132.
Anglis, Hibernis, & Scotis anno Iubilei MDCXXV. hoſpitium parat.204.
Eorumdem privatis, & publicis indigentijs largè ſubvenit. ibid.
Franciſcus a S. Auguſtino Maccedo laudatur.41.
Franciſcus de Maximis Arcis Sãcti Angeli Vice-Caſtellanus laudatur.248.
Franciſci Sanſovini error in ſupputatione annorũ Iubilei.104.
Francorum Rex. Vide Galliarum Rex.
Friderici Imperatoris ira ab Alexandro III. compreſſa.15.
Ejus in Vrbem è Florentiâ adventus, ac ſuſceptæ coronæ varia temporis ratio.134.135.

Gal-

Digitized by Google

G

Galliarum Rex Robertus anno M. ad Vrbem. 43.
Super Altare S. Petri reſponſorium collocavit. 43.
Regis Henrici III. Oratoris ad obedientiam præſtandam ablegati pompa. 200.
Genebrardi error in aſſerendo Iubileo à Nicolao V. celebrato. 105
Gregorius Magnus indulgẽtias Stationum conceſſit. 13.
Gregorius XI. Baſilicis viſitandis pro conſequendo Iubileo adiecit Eccleſiam S. Mariæ Majoris. 117 120.
Gregorius XIII. anno MDLXXV. Portam auream Vaticanam reſeravit, & clauſit. Nocte ſubſequenti Matutinis interfuit: manè Nativitatis, ſacro pontificali operatus fuit. 182. & ſeqq.
Quater Baſilicas viſitavit, ac primâ vice eas viſitaturus omnium ipſe anteſignanus cum familiaribus triduo ante jejunavit, manè ſacrum iter ſuſcepturus familiares ſacrâ Cõmunione refecit. 184
Tertiâ vice omnibus eum comitantibus Iubileum indulſit. 183.
Semel a Portâ Hoſtienſi ad Baſilicam S. Pauli octogenarius pedibus iter confecit. 184.
Septies è proſpectu Baſilicæ Vaticanæ populo ſolemniter benedixit. 185. & ſeqq.
Omnibus Capellis adfuit, quater pontificaliter ſacrum celebravit, ple raſque Eccleſias devotè inviſit. 186.
A prandio plurimos advenas ad pedis oſculum admiſit: ac unâ eâdem die tredecim millia. 186.
Quâlibet feriâ ſextâ Martij ejuſmodi ſpirituale ſolamem in Baſilicâ Vaticanâ peregrinis fœminis præſtitit. 183.
Cliviæ Ducis primogenitum ægrotantem inviſit, eumque agentem animam ſacrâ unctione munivit. 182.
Guido Cardinalis Bentivolus laudatur. 41.

H

Hebræorum Arca quid in ſe contineret. 72.
Iis ne ſine conſueto ſigno incederent imperatum. 165.
Herculi Vicecomiti Protonotario Apoſtolico exterorum cura demandata in Vrbe. 245.
Hæreticam cõtra pravitatem Cruceſignatis indulgentiæ conceſſæ. 15.
Hæretici pietatem Romani Pontificis Iubilei anno admirati, Romanam fidem amplexi ſunt. 196 228.
Hieroſolymitanâ expeditionem ſuſcipientibus indulgentiæ conceſſæ. 14. 24.
Miraculis comprobatæ. 28.
Hiſpaniarum Regis Oratorum ad obedientiam præſtandam in Vrbem adventus, & pompa magnifica. 200. 215. 216.

Hlu-

Hludovicus. Vide *Ludovicus*.
Honorius Imperator reprehenditur, quòd ſeculares ludos à Conſtantino prætermiſſos reſtituerit. 38.
Horatij Turſellini error in ſupputatione Annorum Iubilei. 106.
Hoſpitium Epiſcopis, alijſque Eccleſiaſticis viris ſumptibus Pontificijs Iubilei anno exhibitum. 192.203.221.236.
Anglis, Hibernis, & Scotis à Fräciſco Cardinale Barberino. 204.

I

S. IAcobi Compoſtellani Eccleſia indulgentijs aucta. 14.
Iacobi Godonij error in aſſerendis Iubilei annis. 106.
Iacobi Philippi Bergomatis error in ſimili ſupputatione. 104.
Iacobus de Angelis Viceſgerens laudatur. 234.
Iacobus Emerix Auditor Rotæ laudatur. 252.
Iacobus Cardinalis Roſpiglioſius laudatur. 253.
Idola omnium gentium à Romanis in Vrbem advecta, & quare. 68. *A Chriſtianis everſa, eorumque fana in cultum veri Dei immutata: quo ritu: & quare non potiùs deſtructa*: 55. 56.
Indulgentiarum infinitus cumulus ex Chriſti paſſione. 2. 3. 4.
Illi acceſſere Deiparæ, ac Sanctorum ſatisfactiones. 3. 4. 6. 7.
Hæ uti per ſe finita exhauriri potuiſſent, niſi paſſionis Chriſti meritis infinitis conflarentur. 7.
quare quãtò plures ijs trahuntur ad iuſtitiam, tantò magis accreſcit cumulus meritorum Sanctorum. 7.
Earum libellum, pacis appellavit Tertullianus. 25. 26.
Earum uſus in Eccleſiâ Catholicâ vetuſtiſſimus. 10.
Doctrinâ S. Pauli clarè elicitur. 4. 8. *alijſque ſacrarum literarum teſtimonio non caret*. 27. 30. 31.
Exemplis comprobatus à temporibus S. Silveſtri. 11.
Chriſtiano populo ſalutaris. 24.
Miraculis cõfirmatus. 27. *& ſeqq.*
Impugnatorum audaciâ conſolidatur. 10. 11. 24. 25. *ijdem anathemate percuſſi*. 24.
Eas conferendi poteſtas Eccleſiæ à Chriſto tradita. 24.
Vnicus diſpenſator Romanus Põtifex à Deo conſtitutus 3. 28. 30.
Bona enim alicui multitudini cõmunia, ab eo diſpenſanda, qui multitudini præeſt 28.
Epiſcopi quadraginta dierum ad ſingulas celebritates, ac in Eccleſiæ dedicatione unius anni earum diſtributores delegati. 24.
Inferioribus Epiſcopo Prælatis earum diſtributio interdicta. 24.
Non-niſi de locorum Ordinariorũ conſenſu publicandæ. 24.
Eadem à Romano Clero Sede vacante conceſſæ, electi Pontificis indulto confirmatæ. 29.
Illas non tantùm à pœnis canoni-

cis

Digitized by Google

tis in hoc ſeculo, ſed a pœna reatu in Purgatorio explendis liberare. 26.27. *Iis etiam poſſe ſuffragari animabus in Purgatorio exiſtentibus indulſit Alexander* VI.96.97.153.

At nō prodeſſe illis, qui extra gremium Eccleſiæ, vel in peccato mortali exiſtunt.30.

Quæ ab Epiſcopis conferri poſſint? 24. *poſt libellorum pacis uſū abolitum*.25.26.28.30.

Anno Iubilei munificentiùs a Sūmis Pontificibus eadem conceduntur.31.32.

Quæ viſitantibus quatuor Baſilicas propoſitæ? 95.*& ſeqq.*

Plenariæ quæcumque Iubilei anno ſuſpenſæ, præterquam affixa Eccleſijs Vrbis, ac primùm quidem a Sixto IV. 139.141.180. 191. 235.*& ſeqq.*

Nec-*non conceſſæ in articulo mortis*.235.

Altaribus privilegiatis pro defunctis. 237. *Stationales Eccleſias viſitantibus*.238.

Stationales proinde Cardinalibus Epiſcopis aſſiſtentibus, Protonotarijs, & Auditoribus Rotæ de more conceſſæ.183.

Schalas Sanctas devotè conſcendentibus.238.

Septem Eccleſias viſitātibus.*ibid.*

Pontificijs Capellis intereſſentibus.183.

Quadragenarum horarum indulgentiæ in Vrbe ad ſeptem annos reductæ.238.

Cruciatæ, Compoſtella, Portiuncula, & S. Domûs Lauretanæ conſuetudines preſervata ſunt.235. 236.

Innocentius III. *laudatur*. 45. *Sacris ritibus exercendis, celebrandiſque, dum in minoribus erat, addictus fuit*. *ibid.*

Innocentius X. *Iubilei annū* MDCL. *indixit, & celebravit*. 220. *& ſeqq.*

Quindecies quatuor Eccleſias devotè inviſit. 225. *ab aliquibus Cardinalibus per turnum invitatis ſociatus*. 225.226.

Quinquies ultra dies conſuetos populo ſolemniter benedixit. 216. *privatim quoties peregrini efflagitabant*.*ibid.*

Caſus compreſſionis peregrinorum 226. *quomodò evitandus in poſterum?* *ibid.*

Pluries ad Baſilicam Vaticanam deſcēndit, aliaſque Vrbis Eccleſias perluſtravit.227.

Ejuſdem munificentia in Xenodochiū Sanctiſſimæ Trinitatis.227. *illud ſuâ præſentiâ non ſemel cohoneſtavit*.227.228.229.

Lateranenſem, & Vaticanam Baſilicas ad ſtuporem exornavit. 221.222.

In Areâ Capitolinâ uniforme alteri a Michaële Angelo Bonarotâ excitato, Palatium a fundamentis extruxit.223.

In agonali areâ fontem mirificum cum obeliſco crexit.223.

Ejuſdem Pontificis in authorem muni-

munificentia. 246. 247.
Ioannes Baptiſta Leonius Martini V. Iubileum prætermiſit. 105.
Ioannes Bona Cardinalis laudatur. 59.
Ioannes Gualterius Sluſius Breviū a Secretis laudatur. 235. 242
Ioannes Laurentius Berninus Architectus inſignis laudatur. 223. 248. 259.
Ioannes Mariana aliquot Iubilei annos ſiluit. 105.
Iobelus Iudeorum quare dimittens, ſeu mutans appellatus? 33.
Quo tempore initium ſumpſerit, & quando deſierit celebrari? 35. 36. 37.
Ad veterum Levitarum privilegia al qui eum deducunt. 34.
Afferebat omnia bona temporalia. 63.
Sexta fuit, ac omnium celeberrima Hebræorum feſtivitas. 66.
Ioſeph Suareſius Epiſcopus olim Vaſioneñ laudatur. 43.
Iubilei vox a Iobelo antiquæ legis accepta. 63. idem ac remiſſio, ſeu initiatio. 64. 65. 66. vel jubilatus ſecundùm Latinos. 63. 64.
A Iobel dicta, hoc eſt a cornu arietum, nempe buccinâ. 36.
Buccinis populus hebræus expreſſus cernitur in Arcu triumphali Titi Veſpaſiani ad Forum Boarium. 34.
Qui primū apud Chriſtianos Iubilei voce uſi fuerint? 33.
Ejuſmodi anni celebritatis apud Chriſtianos futuræ vaticiniū. 32.
An a Iobelo antiquæ legis; vel a ſeculari gentilium apud Chriſtianos originem hauſerit? 33. & ſeqq. 38. 43.
Iubileum Chriſtianorum miraculis comprobatum. 110.
Affert omnia bona ſpiritualia. 64.
Indulgentiam pleniſſimam. 95.
Ideò inſtitutum, quòd ab Eccleſiæ incunabulis quolibet centeſimo fideles frequentiùs ad memoriam S. Petri convolare conſueviſſent. 52. 55.
Sive ad abolendos ſeculares ludos, ut aliqui crediderunt? 38. 43. 51. 52. 55.
Veriùs tamen, ut Chriſti-fideles ad veneranda ſacra Beati Petri lipſana indulgētiarum lucro excitarentur. 70. 72. 73. 98.
Ejus myſtica ſignificatio. 64. & ſeqq.
Ejuſque reductio ob vitæ humanæ brevitatem, quâ ratione Gentiles pariter ſecularem annum contraxerant. 60. & ſeqq.
Primùm quidem ad quinquageſimum quemque annum a Clemente VI. 113. quem tenuit Nicolaus V. 60. 130.
Mox ad trigeſimum tertiū quemlibet annū ab Vrbano VI. quē celebravit Martinus V. 60. 61. 128
Demùm ad vigeſimum quintum annum a Paulo II. 62. 137.
Cur frequentia ad Vrbem Iubilei anno imminuta? 52.
Præceſſit Bonifacij VIII. tempora inſtitutio ejus celebritatis. 39. ad 44.

Digitized by Google

44. & 75. negativa. 44. ad 50.
Reſtauratum, ac celebratum a Bonifacio VIII. *an.* MCCC. 107.
Eius publicatio feriâ v. Aſcenſionis Domini. 63. 179. 191. 203. 220. 242. *& feriâ v. in Cœnâ Domini.* 141. 160. 166. *Dominicâ iv. Adventûs expleta, vel repetita.* 143. 153. 160. 180. 191. 220. 252.
Literas indictionis apud Lateranũ datas, apud S. Petrũ dari, & adſcribi juſſit Bonifacius VIII. 85.
Olim ad conſequendum Iubileum ſola Principis Apoſtolorum Baſilica viſitabatur, adjecit Bonifacius VIII. *Baſilicam S. Pauli, Clemens* VI. *Eccleſiam Lateranenſem, Gregorius* XI. *Liberianam.* 82. 96 98. 107. 117. 120.
Iubileum a Bonifacio VIII. *celebratum ann.* MCCC. *& inchoatum in feſto Cathedræ S. Petri.* 107. *& ſeqq. cum declaratione, quòd ijs, qui a vigiliâ Nativitatis Baſilicã Vaticanam viſitaſſent ſuffragaretur.* 108.
Populi frequentia Iubilei anno ad Vrbem. 109. 110. 111.
Miracula patrata eodem anno in Baſilicâ Vaticanâ. 110.
Iubileum indultum exteris impeditis, in aliquibus caſibus expreſſis. 97. 107. 112. 153. 156. 189. 190.
Eamdemque gratiam etiam incolis Vrbis ſuffragari declaravit Clemens X. 240. 241.
At è contra incapaces declaravit Iubilei theſauro deferentes victualia, & arma ad infideles Bonifacius VIII. 112.
Annũ Iubilei non extendi ad annum Incarnationis, ſed ad annũ Nativitatis Domini. 108.
Principibus, ac populis in eorum regionibus indultum. 97.
Aliquibus denegatum. 98. 116.
Exeunte anno ijs. peregrinis conceſſum Iubileum, qui præſtitutũ numerum viſitationum explere nequiverant, 107.
Cõceſſum pariter ijs, qui antea die Dedicationis Baſilicæ SS. Apoſtolorum, vel die Nativitatis Baſilicas viſitarent. 108.
Ad diem Reſurrectionis proximã prorogatum ijs, qui antea de alieno ſatisfacere non potuerant. 108
Inſtitutionem ejuſdem, & ſolemnia carmine celebravit Cardinalis S. Georgij Stephaneſius Caietanus. 89. 90.
Errores quorumdam authorum in ſupputatione annorũ Iubilei recenſentur, & quare? 104. *& ſeqq.*
Iubileum ex revelatione S. Birgittæ contractum ad annum quinquageſimum Clemens VI. *indixit, & celebravit anno* MCCCL. 60. 113. *& ſeqq.*
Adiecit viſitandam Eccleſiam Lateranenſem. 98.
Pontifice Avenioni degente Cardinales Legati ad Vrbem pro celebratione Iubilei cum facultate reducendi numerum viſitationũ. 113. 114.

Magnus exterorum concurſus. 114.115.
Eum inſignem reddidit Ludovici Hungarorum Regis, nec-non S. Birgittæ viduæ, & Catharinæ ejus filiæ, aliorumque Principum adventus. 115.
Regibus licèt Reginis, ac pleriſque populis Iubileum in partibus indultum. 97.98. 120. 121. 122.135.136.139.200.
Archiepiſcopo Brunduſino Nuncio Apoſtolicò Regno Siciliæ facultas data concedendi Iubileum in iis regionibus triginta perſonis, & quâ conditione? 116.
Aliquibus Regibus deficientibus cauſis denegatum. 98.116.
Plurimi ſuffocati, & compreſſi in concurſu populi ad viſêdam Veronicam. 117.
Iubileum ab Vrbano VI. *indictum, & a Bonifacio* IX. *celebratum anno* MCCCXC. *trigeſimi tertij anni reductione ſervatâ.* 118. *& ſeqq.*
Contraria ſententia refellitur. 118 *& ſeqq.*
Innumerabilis exterorum concurſus. 120.
Varia Authorum hujus anni ſupputatio. 120.
Quibuſdam Germaniæ populis in partibus indultum. 121.
VVenceslai Regis precibus, Bohemis. 121.
Angliæ, & Luſitaniæ Regibus, ejuſque Vxoribus. 121.
Iubileum anni MCCCC. *ab aliquibus aſſertum, confictum evincitur literis Bonifacij.* 122. *& error excuſatur. ibid.*
Iubileum a Martino V. *celebratum anno* MCCCCXXIII. *Vrbani* VI. *reductione triginta trium annorum firmatâ.* 128. *& ſeqq. Contraria ſententia affertur.* 129.
In Angliâ Iubileum illegitimâ authoritate confictum abrogatur. 129. *& ſeqq.*
Iubileum magnum appellatū a Nicolao V. *celebratū anno* MCCCCL. 130. *& ſeqq.*
Ingens advenarum concurſus ad Iubileum conſequendum. 133.
Hunc inſignem reddiderunt Didacus mox inter Sanctos relatus, Ioannes a Capiſtrano, Franciſcus de Papiâ, Philippus de Aquilâ, Petrus de Regaladâ, Gabriel de Anconâ, Iacobus de Marchiâ Beatorum cultu ſubinde aucti, qui unâ cum innumerabili populo ad Vrbem confluxerunt. 136.
Archiepiſcopus Trevirenſis S. Romani Imperij Elector, Iacobus Clivia Dux, Princeps Albertus Imperatoris frater, ac Regis Æthiopiæ Oratores. 134.135
Caſus ſuffocationis plurimorum in Ponte S. Angeli, permovit Pontificem, ut everſis domunculis ligneis viam redderet ampliorem. 132.133.
Pontifex integrum ferè annum in celebritatibus, Stationibus, & Eccleſiarum luſtrationibus cum Cardinaliū cœtu inſumpſit. 135.

Ali-

Aliquibus Regibus, & Principibus gratiam Iubilei Nicolaus contulit. 135. 136.

Nec-non pleriſque, qui Romam venire nequiverant. 135.

Numerus viſitationum cõtractus, ex quo interdum Roma incapax reddita tantâ exterorum copiâ. 131.

Iubileum anno MCCCCLXXV. *a Paulo* II. *indictum, reductione noviſſimâ vigeſimi cujuſque anni decretâ, & a Sixto* IV. *celebratum.* 137. *& ſeqq.*

Opinio quorumdam Scriptorũ, reductionis hujuſmodi authorem Sixtum IV. *aſſerentium, refellitur.* 137.

Omnes indulgentiæ in formâ Iubilei ſuſpenſæ a Sixto IV. *durãte anno Iubilei.* 139.

Ingentem exterorum copiam inſignem reddidere Reges nonnulli. 138. 139.

Inter eos Ferdinandus Siciliæ Rex, a cujus familiaribus tanta accipitrum copia delata, ut milvos omnes in agro Romano necarint. 138.

Cautum, ut diù noctùque quatuor Baſilicæ perluſtrarentur, & quare? 146.

Iubileum ab Alexandro VI. *indictum, & celebratum anno* MD. 141. *& ſeqq.*

Cardinalibus in Conſiſtorio ſecreto prænunciatum. 143.

E podio proſpectûs Baſilicæ Vaticanæ feriâ v. in Cœnâ Domini publicatum a Subdiacono Apoſtolico, ac repetitũ Dominicâ iv. Adventûs a Cubiculariis intimis 143.

Indulgentiæ plenariæ extra Vrbem ad arbitrium ſuſpenſæ. 141.

Portarum Sanctarũ reſeratio Diplomate evulgata. 141.

Pulſus Campanarum Capitolij, & omnium Eccleſiarum Vrbis per triduum ante pervigiliũ Nativitatis indictus. 143.

Ingens exterorum concurſus. 146. 147. *inter quos Sethzo de Tamrlacâ Baro Palatinus Cracoviæ.* 147.

Dux de Sagamine, & Volamine Dalmata nonaginta unius annorum natus. 149.

Pontifex cum Cardinalium Collegio ſolemni pompâ equitat ad quatuor Eccleſias; eumque aſſociantibus Iubileum impertit. 138

Capitulis, & Sodalitatibus numerum viſitationum contrahit. 148.

Semel adſtanti populo ad benedictionem ſolemnem die Omnium Sanctorum Iubileum concedit. 149.

In fine anni iis, qui bellorum, ac peſtis incommodis territi Romam adire formidaverant, Iubilei gratiam indulget. 151.

Ad feſtum uſque Epiphaniæ præſentibus in Vrbe Iubileum prorogavit. 149.

Iubileum anno MDXXV. *a Clemente* VII. *indictum, & celebratum.* 152. *& ſeqq.*

A

A duobus Acolythis Dominicâ iv. Adventûs euulgatum præſentibus Præfecto Apoſtolici Palatij, Prælatis domeſticis, & familiaribus Papæ. 153.

Facultates quæcumque abſolvendi a caſibus reſervatis conceſſæ, ſuſpenſæ fuerunt. 153.

Iubilei gratia ad pleroſque Principes, ac populos, qui ob bellorum cladem Romam venire nequiverant, impertita. 156.

Iubileum a Paulo III. indictum celebravit Iulius III. anno MDL. 160. & ſeqq.

Indictionis Diploma ſub Paulo III. feriâ v. maioris hebdomadæ a duobus Acolythis euulgatum, nec repetitum Dominicâ iv. Adventûs ob vacationem Sedis. 160 165. 166.

In feſto S. Matthiæ Portam Sanctam Vaticanam aperuit, eò quòd priùs Iulius III. coronam non ſuſceperat. 160.

Cardinales Legati ad aperiendas Portas aureas renunciati Epiſcopus Portuenſis Protector Caſinenſium ob abſentiam Hoſtienſis, nec non duo Archipresbyteri. 172.

Pluries populo ſolemniter Iulius benedixit. 173.

Primò Sanctimonialibus, alijſque in perpetuâ clauſurâ degentibus indultum Iubileũ a Iulio III. 163

Iubileum indictum, & celebratum a Gregorio XIII. anno MDLXXV. 179. & ſeqq.

Diploma Indictionis publicatum feriâ v. Aſcenſionis Domini a Cæremoniarum Magiſtro, & Cantore. 179. ac iterum Dominicâ iv. Adventûs a duobus Abbreviatoribus præſentibus Epiſcopis Aſſiſtentibus, ac cæteris Abbreviatoribus, & Cubicularijs Papæ. 180.

Ingens ad Vrbem exterorum confluxus. 182. 188. & ſeqq. ultra trecentas Sodalitates. 189.

Inter quos quidam Princeps Græcus ex familiâ Imperiali Paleologâ. 185.

Benedictio ſolemnis die S. Marci abſque præcedentibus Miſſarum ſolemnijs in Capellâ Pontificiâ. 185.

Cardinalium, ac præcipuè S. Caroli Borromæi, Præſulũ, ac Principum pietas in perluſtrandis Baſilicis, ductorum exemplo Summi Pontificis. 184.

Iubileum a Clemente VIII. indictum, & celebratum anno MDC. 191. & ſeqq.

Diploma Indictionis euulgatũ ab Abbreviatore de Curiâ feriâ v. Aſcenſionis Domini, ac iterum Dominicâ iv. Adventûs ab Abbreviatore de Parco Camillo Burgheſio, mox in Pontificatu Paulo V. 191.

Podagrâ laborãte Pontifice, adhuc portis aureis non reſeratis, viſitatio Eccleſiarum ad conſequendum Iubileum permiſſa, ac edicto euulgata. 192.

Aſca-

Digitized by Google

Aſcanius Columna Presbyter ordinatus a Summo Pontifice. 197.
Tres Cardinales in Epiſcopos cōſecrati a Pontifice. 197.
Cardinali ab Auſtriâ Viaticum exhibitum a Pontifice. 197.
Cardinali Radxivilio in extremis laboranti benedictio a Pontifice ipſo impertita. 197.
Aliquibus Capitulis, & Cleris Baſilicarum Collegiatarum, & Eccleſiarum Nationalium Vrbis unicâ viſitatione proceſſionali Iubileum indultum. 198. 199.
Sãctiſſimi Roſarij Imaginem proceſſionaliter ad quatuor Eccleſias deferentibus, eamque aſſociantibus Iubileum conceſſum. 198.
Plurimæ Societates a Sodalitatibus Vrbis hoſpitio exceptæ. 194. 195. 196.
Bis prorogata Portarum Sanctarum clauſura, octavâ die Epiphaniæ peracta, ac Iubileum eòuſque prorogatum. 199.
Regibus, ac aliis in ſuis regionibus Iubileum conceſſum. 200.
Iubileum ab Vrbano VIII. *indictũ, & celebratũ anno* MDCXXV. 203. *& ſeqq.*
Baſilica Vaticana mirè exornata. 204. *& adjacens Templum Laterano.* 207.
Vrbs tum ſacris, tum prophanis ædificiis exculta. 206. 207. *& ſeqq.*
Diploma Indictionis die Aſcenſionis ab Abbreviatore de Curiâ publicatum; repetitumque Dominicâ iv. Adventûs. 203.
Legati ad aperiendas Portas aureas apud Lectum Paramentorũ renunciati. 208.
Hoſpitium apud S. Petrum Epiſcopis, ac Sacerdotibus excipiendis paratum. 203.
Eccleſia S. Mariæ Tranſtyberim ſubrogata in locum Baſilicæ Sãcti Pauli ob ſuſpicionem contagionis. 212.
Hæc remiſsâ vi peſtis, in priſtinum reſtituta. 216.
Iubileum indixit, & celebravit Innocentius X. *anno* MDCL. 220. *& ſeqq.*
Baſilicæ Lateranenſis, & Vaticana ornamentis aucta. 221. *& ſeqq.*
Vrbs ingenti Fonte cum obeliſco, & Capitolium novo Palatio ornata. 223.
Legati ad reſerandas Portas trium Baſilicarum apud Lectum paramentorum renunciati. 224.
Hoſpitium Epiſcopis, & Sacerdotibus ſumptibus Pontificiis erectum. 221.
Lucas Torregianus Clericus Cameræ exterorum indemnitati adlectus. 221.
Capitulis, & Cleris Vrbis Iubileum unicâ viſitatione indultum 229.
Imperatori, ac Regibus, aliiſque ſupremis Principibus more Prædeceſſorum Innocentius impertivit. 231.
Iubileum præſentis anni MDCLXXV. *a SS. D. N. Clemente* X. *feliciter*

Digitized by Google

citer incboatum. 233. *& ſeqq.*
*Baſilicæ Vaticanæ molem exornavit.*234.
Congregationem inſtituit ad decernenda quæcumque ad annum Iubilæi celebrandũ opportuna. 234.
*Decreta exponuntur.*235.*& ſeqq. uſque ad* 240.
Apparatus, ac ritus Apertionis Portę aureę Vaticanę 243.*et ſeq.*
*Diploma Indictionis die Aſcenſionis ab Abbreviatore de Curiâ euulgatum, ac repetitum Dominicâ iv. Adventûs ab Auditoribus Rotæ:& quare?*252.
*Cardinales Legati ad aperiendas Portas aureas aliarum trium Baſilicarum apud Lectum paramentorum renunciat.*253.
Chriſtina Alexandra Suecorũ Regina interfuit reſerationi Portæ aureæ Vaticanæ: ejuſque pietas, ac inſignis religio. 244.246.259
*Duciſſa Mutinenſis ſpectavit cæremoniam apertionis ejuſdẽ Portæ Vaticanæ.*245.246.
Iulius III. *celebravit Iubilei annũ* MDL.*a Paulo* III.*indictum.* 160. *& ſeqq.*
*Articulari morbo correptus rarò ſacris interfuit.*173.
*Iuſtinus Imperator Græcus Baſilicæ Vaticanæ munera obtulit.*91.

L

LApſis libelli pacis a Martyribus olim traditi.29. 30.
*Lateranenſis Eccleſia numquàm ſatis pro dignitate laudata.*82.117
a Conſtantino Magno excitata, 12.
*Eidem S.Silveſter indulgẽtias addixit.*11.*&* 12. *quas Alexander* IV.*confirmavit* 16.
*Eaque mox reſtaurata iterum conſecrata.*12.
Noviſſimè ab Innocentio X. *quaſi novâ undique molitione reſtituta.*221.
*Laurentius Brãcatus a Laureâ laudatur.*48.
*Lauretana Domus in Picenum ab Angelis advecta.*41.
Legati Cardinales ad aperiendas Portas renunciati. Vide *Cardinales.*
Leo IV. *Civitates Leoninam, & Leopolitanam extructas aquâ luſtrali expiavit.*57.
Liberianæ Baſilicæ Sixtus III. *indulgentias conceſſit.*12.
Eadem viſitanda aliis tribus Baſilicis a Gregorio XI.*adiecta.*120.
Limina Apoſtolorum. Vide *Apoſtolorum Limina.*
Litaniæ rogationum a Synodo Aurelianeñ inſtitutæ, in Hiſpanias invectæ, mox a Leone III. *univerſim celebrandæ injunctæ.* 57. *& ſeqq.*
Longobardis bellorum turbine vexatis Bonifacius IX. *Iubileum indulſit.*122.
Lucas VVaddingus laudatur. 11.
*Ludorum ſecularium celebritatis primordia, & deſitio.*36.74.
Honorius Imperator reprehenſus, quòd

Digitized by Google

*quòd ſeculares ludos,a Conſtantino prætermiſſos,reſtituerit.*38.
*Apollini,& Dianæ ejuſmodi ludi ſacri apud Ethnicos omnium celeberrimi.*37.
*Præconis error ad eoſdem ludos invitantis.*52.
An ad eos abolendos Romana Sedes Iubileum inſtituerit? 38.59.73.*&* 74.
Ludi publici, & baccanalia Iubilei anno primùm ſublata a Iulio III. 165.
*Ludovicus Auguſtus dona obtulit Baſilicæ Vaticanæ.*93.
Luſitaniæ Regi, ejuſque Vxori Bonifacius IX. *Iubileum indulſit.* 121.
Luſitaniæ Reginæ Eliſabethæ Canonizatio anno Iubilei MDCXXV. 215.
*Luſtralis aqua.*Vide *Aqua.*
*Lutherani ad Romanam Eccleſiam converſi hæreſim abjurarunt,admirati Pontificum pietatem anno Iubilei.*196.228.

M

M*Agiſtri Cæremoniarum.* Vide *Cæremoniarum.*
*Marcellus Cardinalis Lantes laudatur.*239.
*Marcellus Rondininus Auditor Rotæ laudatur.*252.
*Maria Virgo Beatiſſima plus meruit inſtillando lac ex uberibus, quàm Sācti fundendo ſanguinem ex venis.*4.
*Mater fuit totius dilectionis, & charitatis.*3.
S.Martini in montibus Eccleſia a Sergio II. *indulgentijs decorata.*13.
Martinus V. *Iubileum annum celebravit.*MCCCCXXIII. 128. *& ſeqq.*
*Martyribus cultum aſſerere Apoſtolicæ Sedi reſervatum.*29.
*Martyrum cruciatus ad Eccleſiæ theſaurū pertinent.*4. 5. 25.
Martyrum ex libellis pacis vagiens Eccleſia Catholica uſum indulgentiarum hauſit. 25.
*Mathildæ pietas, ac munificentia erga Baſilicam Vaticanam.*94.
Mediolani Iubileum indultū precibus S. Caroli Borromæi Archiepiſcopi, ac celebratum anno MDLXXVI.189.
Militibus SS. Petri & Pauli cuſtodia Portarum earumdem a Clemente VII. *ex inſtitutione Alexandri* VI. *demandata.* 209.259.
Miracula linguæ ſunt Cœli. 27.
Mirandulæ Princeps ad Vrbem anno MDCL.230.
Miſniæ incolis Iubileum indultum a Bonifacio IX.122.
Monialibus Iubileum quâ lege conceſſum a Iulio III?163. *& a SS.D.N. Clemente X?*240.
Earumdem clauſuræ magna ratio habita a Summis Pontificibus. 200.
Mulieribus inhoneſtis quid vetitum Iubilei anno? 164.237.

*Mutinæ Duciſſa interfuit apertioni Portæ aureæ Vaticanæ præſenti anno.*245.246.

N

*Neapolis Proreges ad Vrbem Iubilei anno.*185.200.
Nicolaus V.*magnum Iubileum celebravit.*130.*& ſeqq.*
*Eâ auctoritate apud Principes pollebat, ut facilè eos ad pacem concilia- erit, & Felicem Pſeudo-pontificem Pontificatu ſe abdicare compulerit.*130.
Noſocomia Vrbis frequenter viſitata Iubilei anno MDL.*ac pio Pontificio ſubſidio ſublevata.*163.
Numiſmata conſueta recondi in obſtructurâ Portarum aurearum. 157.176.177.
Quoddam Bonifacio VIII. *affictum, modernum creditur.* 103.
Sixti IV. *quoddam deſcribitur.* 139.
*Cardinalis Andreæ de Valle aliud indicatur.*157.
Duo Iulij III.*deſcribuntur.* 178. *& ſeqq.*
Gregorij XIII. *pariter duo recenſentur.*183.190.
Clementis VIII.*& Legatorũ Cardinalium quædam.*201.203.
Vrbani VIII.*duo.* 218.219.
Innocentij X. *& Cardinaliũ Legatorum ſex.* 231.232.
SS.D.N.Clementis X. *Portã auream reſerantis effigiem exhibentia.*260.261.

O

Oblationes plurimæ Altari Baſilicæ Vaticanæ exhibitæ. Deſuper earum partitione ſubortam contentionem Innocentius VI.*& Vrbanus* VI.*extinxerunt.*87.88 89.
Iubilei anno MCCC. *attigerunt ſũmam florenorum quingentorum millium.*88.
*Omnes reponendæ in Arculâ S.Petri.*89.
*Imperatorum, & Regum immenſa.*90.91.92.93.94.
*Octavij Panciroli lapſus circa Iubilei antiquitatem.*105.118.119.
*Officium, & Miſſa de Sanctiſſimo Sacramento a D. Thomâ Aquinate compoſita.*19.
*Orationis plurimorum efficacia ad conſequendam Divinam miſericordiam.*5.110.
*Oſorij Alarici Regis Gothorum erga Vaticanam Baſilicam pietas inſignis.*93.
*Othonis Imperatoris ad Vrbem peregrinatio ſacra.*43.

P

Parmæ Dux ad Vrbem Iubilei anno MLXXV.184.*& ſeqq.*
Iterum anno MDC. *interfuit reſerationi Portæ aureæ.*193.
*Ejuſque Sororis Romam adventus.*186.*& ſeqq.*
*Matrimonio Dux jungitur cum Nepte Pontificis.*196.

Paſcha-

Paſchatis feſtum quando a Chriſtianis celebrandum, ne cum Iudæis conveniant. 75.76.77.78.
Formatæ literæ dicebantur, quibus Paſcha dies celebrandus præcipiebatur. 76.
Paſſio Chriſti ob hypoſtaticam humanitatis unionem ad Verbum Divinum conſecuta eſt infinitam virtutem. 2.
Eadem licèt infiniti pretij per indulgentias applicatur finito modo. 7.
Nihil ejus excellentiæ derogatur, quòd ijs aliquid ex Sanctorum ſatisfactionibus ſuperaddatur, & quare? 7.
Paulus II. *vigeſimi quinti anni reductione decretâ Iubileum indixit, ſed morte præventus non celebravit.* 137.
Paulus Capiſuccus Epiſcopus Neocaſtrenſis Vicarius Vrbis laudatur. 152.
Paulus Paſſioneus laudatur. 246.
Pauperes mendicantes, ne Iubilei anno per Eccleſias vagentur vetitum a Iulio. III. *& a SS. D. N. Clemente X.* 164.238.
Peregrini ut in hoſpitijs Vrbis benignè excipiantur, Cardinali cura demandata. 165.
Peſte Italiam dirè vexante, pauci ad Vrbem confluxerunt Clemente VII. *Iubileum celebrante, ſecus Vrbani* VIII. *tempore.* 210.
S. Petrus ad arcem Romani Imperij deſtinatus. 80.
Adhuc in ſuâ Cathedrâ vivit, & quomodò? 70.
Ab eo Succeſſores coronam obtinent Præſulatûs. 85.
S. Philippus Nerius floruit Iubilei anno MDLXXV. 184. *& ſeqq.*
Platina Iubilei annos MCCCXC. *&* MCCCCXXIII. *ſilentio obvolvit.* 105.
Pœnitentiarius Major cũ minoribus quid agere debeat in apertione, & clauſurâ Portarum aurearum? 168.170.177.178.
Pœnitentiarij Majoris abſentis vices ſupplet antiquior Presbyter Cardinalis. 199.224.
Pœnitentiarijs Vaticanæ Baſilicæ quæ nam facultates tributæ ab Alexandro VI? 141.142.
Quæ nam a Iulio III? 165.
Quæ a Gregorio XIII? 88.
Quæ demum a SS. D. N. Clemente ipſis, ac Parochis Vrbis? 239.
Politiâ civili comprobatur, Sanctorum ſatisfactiones alijs ſuffragari poſſe. 5.
Alijſque præterea exemplis. 5.
Poloniæ Regi Vladislao ſubſidiũ præſtitum. 127.
Sigiſmundi Regis Primogenitus alter Vladislaus reſerationis Portæ aureæ ſolemnijs interfuit anno MDCXXV. 209.
Enſe, & pileo donatus. ibid.
Canonicus ſupranumerarius Baſilicæ Vaticanæ creatus vidit, & cum duobus Canonicis Veronicam oſtendit. 209.210.
Pons olim Senatorius nuncupatus

a Gregorio XIII.*reſtitutus*. 183.

Pontem S. Angeli, everſis domunculis ligneis, ampliorem reddidit Nicolaus V. *& quare?* 133. 134.

Pontifex Maximus quibus polleat prærogativis ex D. Bernardi, ac aliorum Doctorum ſententiâ? 69. *& ſeqq.*

Porta Sancta olim aurea nuncupata. 32. 99.

Ea quę in Vaticano extabat, a Paulo V. *integra ab antiquo Templo ad nouum translata fuit*. 81.

Olim quędam anguſta Porta in veteri Baſilicâ Vaticanâ Porta Sācta vocabatur. 143.

A quo tempore reſerari, & claudi cœpta. 99. *& ſeqq.*

Ad ſolum Pontificem ejus ſolemnia pertinent: & quare per ſeipſum ea celebret? 78. 80. 81.

Ea in Vaticano per ſeipſum, in aliȷs Baſilicis per Legatos Pontifex peragit. 82. 141.

Preces in ȷſdem ſolemnȷs adhibitæ a Burchardo primùm æditæ, moxreformatę. 102. 143. *& ſeqq. ac in clauſurâ ſervatæ*. 150.

Eorumdem ſolemnium ordo fusè exponitur. 167. 170. 174. 175. 176. 253. *& ſeqq.*

Eorum apparatus diſtinctè deſcribitur. 143. *& ſeqq.*

Ab Alexandro VI. *Porta Vaticana reſerata, ſed clauſa a duobus Cardinalibus Legatis, aliæque reſeratæ, ſed non clauſæ ab Archiepiſcopo Raguſino, & a Cardinalibus Archipresbyteris*. 143. 149. *& ſeqq. Eadem Porta a Clemente* VII. *aperta, & clauſa per ſe: alia per Cardinales Legatos*. 153. *& ſeqq.*

A Iulio III. 167. *& ſeqq.* 174. *& ſeqq.*

A Gregorio XIII. 103. 181. 187. *& ſeqq.*

A Clemente VIII. 192. *& ſeqq.* 199. *&* 200.

Ab Vrbano VIII. 208. *& ſeqq.* 218.

Ab Innocentio X. 224. 230.

A SS. D. N. demum aperta præſenti anno MDCLXXV. 253. *& ſeqq.*

Porta Sancta, quòd tempore belli aperiatur, & tempore pacis claudatur, quâ ratione dici poſſit? 101

An olim apud Gentiles Templi Iani, & Romuli Portæ ȷſdem prorſus tempeſtatibus aperiebantur, & claudebantur; & unde acceperint? 101.

Ejuſmodi ritum ante Bonifacȷ tempora viguiſſe aſſertur. 103. *licèt nulla de eâ re mentio habeatur in Cæremoniali, ac in literis Pontificum uſque ad Alexandrum* VI. 45. 102.

Ejuſmodi ritus ad Templi Hieroſolymitani Portam refertur. 99. 100. *Vbi Ezechielis, Ieremiæ, ac Amonis verba applicantur. ibidem. &* 101.

Tempore contagionis ȷſdem Portis ſubrogatæ aliæ aliarum Eccleſiarum. 103. 104. 211. 212.

Reſe-

Reſeratæ manè,non Veſperè.172. ac in pervigilio Epiphaniæ clauſæ.173.& ſeqq.

Ejuſmodi ſolemnia bis prorogata, Clemente VIII. *podagrâ laborante.199.200.*

Portugallia. Vide *Luſitania.*

Præneſtinorum Ducis in Vrbem irruptio anno MCCCC.127.

*Presbyteriũ quid? & olim ex oblationibus Altaris S. Petri omnibus Vrbis Parochis, & in primis Lateranenſi,quotannis tributum: adhuc ejus veſtigia ſuperſunt.*89.

Proceſſionis Vaticanæ ordo ad apertionis cæremoniam celebrandam. 256.257.

Pulſus Campanarum per triduum ante pervigiliũ Nativitatis anno Iubilei ab Alexandro VI.*decretus.*144.

*Purgatorij pœnis indulgentiæ ſuffragantur.*26.

*Et quæ Iubilei anno animabus in eo exiſtentibus reſervatæ.*96.97. 100.235.237.

Q

*Quinquageſimi numeri myſtica ſignificatio.*65.*& ſeqq.*

*Quinquageſimi in anni revolutione ſeculum impropriè verificari.*66.

R

*Raimundus Capiſuccus Magiſter S.Palatij laudatur.*152.

*Riccius Michaël Angelus Abbas laudatur.*234.

Robertus Miræus in ſupputatione annorum Iubilei ſilet annũ Iubilei ab Vrbano VI.*celebratũ.*106

Rogationes. Vide *Litaniæ.*

*Roma ſeptem Collium Civitas dicta.*32.

*Olim Magiſtra errorum effecta veritatis diſcipula.*69.

Omnium Eccleſiarum Mater, & Magiſtra a Deo conſtituta morte S.Petri in Vaticano.ibid.

Ab eâ omnes Eccleſiæ reguntur, ſicut cardine oſtium regitur. ibid.

*Vrbium omnium religioſiſſima.*54.

*Ad eam advecta Chriſti Præſepe, Panni,Cuna,Veſtis inconſutilis, Purpura, Columna, ſpineũ Diadema,Clavi,Lancea, Crux, Veronica Sudarium, & innumera Sanctorum pignora.*69.

Ad eam congruum eſt, ut Chriſtifideles ſemel ſaltem in vitâ convolent. Id verò non explentes, olim Chriſtiani non cenſebantur. ibidem.

*Ea a Petrarchâ proinde laudibus extollitur.*116.

A Bonifacio IX. *liberè adminiſtrata.*124.

In eâ adeò ſævijt lues, ut unoquoque die Iubilei anno MCCCC.*ſexcenti ſeptingenti, & octingenti obirent.* 125.126.

Romana Eccleſia ex gẽtilitate plurimas ſolemnitates acceptas in meliorem uſum immutavit, & quare? 55.*& ſeqq.*

Ejus

*Ejus primatus aſſeritur, ac præconijs extollitur.*72.73.
*Quare Antiochenæ Sedi eadem prælata.*79.
*Romanæ plebis tumultum contra Cardinalem Legatum Ioannes de Lucâ Noſocomij Sancti Spiritus Præceptor repreſſit.*114.
*Romanorum Regis futuri Imperatoris Rodulphi electionis nuncium a Pontifice Cardinalibus in Conſiſtorio patefactum.*186.
*Romanus Pontifex S. Petri Succeſſor verus Chriſti Vicarius, totius Eccleſiæ Caput, omniũ Chriſtianorum Parens, ac Doctor veritatis.*69.*& ſeq.*73. Vide *Pontifex.*
Romanus Senatus, ac Populus Vrbano VIII. *ob accepta beneficia grati animi monimentum poſuit.* 216.*& ſeqq.*
Alterum Innocentio X.223.
Roſa aurea Iubilei anno a Iulio III. *ad Primogenitum Regis Luſitaniæ miſſa.* 173. *ab Vrbano ad Henrichettam Borboniam Angliæ Reginam orthodoxam.* 212.

S

S*Abaudiæ Ducis Soror Margarita ad Vrbem anno Iubilei.* 230.
*Sacriſta Papæ Euſanius Epiſcopus Porphyrienſis laudatur.*234.
*Sanctes Pilaſtrius Subdatarius Vtriuſque Signaturæ Referendarius laudatur.*234.235.
Sanctis quòd promiſerit Deus, capillos eorũ capitis non perituros *ſupererogationes eorũdem in aliorum levamen ceſſuras ſignificatum.*6.
Ijdem ad noſtram ſalutem aliquo modo concurrunt. 6. 7. *Conſtat de eorum ſatisfaciendi pro nobis intentione.* 7.9.
*Eorum ſatisfactiones in Eccleſiæ theſauro repoſitæ.*3.4.
Quòd teſtimonio fidei probati, non acceperint repromiſſionẽ, Deo pro nobis melius aliquid providente, *ſenſus explicatur.* 4.
*Sapientia filij gloria, & lætitia parentis.*7.
*Saxonum Rex dona obtulit Baſilicæ Vaticanæ.*93.
Schiſma a Martino V. *extinctum.* 129.
Scotis Iubileũ conceſſit Sixtus IV. 139.
*Secretarius Brevium Summo Pontifici Diploma indictionis Iubilei exhibet.*179.191.203.220.235.242.
Sluſius modernus Secretarius *laudatur.*234.242.
*Secula inde dicta; quòd ſe ſequantur: abeuntibus enim alijs alia ſuccedunt.*65.
Senator Vrbis ad muneris exercitium a Romanis admiſſus Bonifacij IX.*nutibus.*123.
Septenarius numerus ſacratiſſimus. 66.67.
Sermo, qui famatur ab omnibus, non eſt

eſt omnino falſus. 40.

Siciliæ Regis Ferdinandi in Vrbem adventus. Iubilei anno. 138

Signorum ſtamneorum conſummatæ viſitationis ſacrorum liminum proventus Capitulo S. Petri ab Innocentio III. addictus. 46.

Sixtus IV. Iubileum celebravit anno MCCCCLXXV. 137. & ſeqq.

Pontem ſuo nomine appellatum, olim Ianiculum, reſtituit. 139.

Societatis IESV Inſtitutum a Iulio III. approbatum. 162.

In eo admiſſus Franciſcus Borgia, mox a SS. D. N. inter Sanctos relatus. ibid.

Ejus precibus Iulius III. Socios omnes Braſiliæ, & Congi, alioſque plurimos Societatis amicos in iis partibus degentes Iubilei theſauro locupletavit: iiſque facultatem abſolvendi a caſibus reſervatis præſervavit. ibid.

Stationes Vrbis cum indulgentiis a D. Gregorio decretæ. 13.

Iubilei anno retentæ, ac præſervatæ. 236.

Subdiaconus Apoſtolicus feriâ v. in Cœnâ Domini evulgavit Indictionis Diploma Alexandro VI. & Cardinalibus præſentibus. 141 nec non Dominicâ iv. Adventus, dum Pontifex Miſſarum ſolemniis vacabat. 220. 238. 252.

Sudarium Domini adorantibus, & præſcriptas preces recitantibus Innocentius III. indulgentias coceſſit. 15.

Idem quâlibet Dominicâ, Iubilei anno populo oſtendendum. 86. 146.

Suecoru Regis Chriſtierni erga Vaticanam Baſilicam religio. 138. 260.

Chriſtinæ Alexandræ Reginæ inſignis pietas. Vide Chriſtina.

Suſpenſio indulgentiarum anno Iubilei primò evulgata à Sixto IV. 139.

T.

Tartaroru Rex Caſſanus ad Catholicam fidem miraculo ducitur. 111. 112.

Templa Chriſtianorum olim memoriæ nuncupata. 76.

Terræ Sanctæ ſubſidia in ultimis voluntatibus diſponentibus indulgentiæ propoſitæ. 16.

Tertullianus ſibi mentitus, quùm Catholicus commendaverat, mox in hæreſim lapſus improbavit indulgentiarum applicationem. 25.

Theodoricus Rex licet Arrianus dona obtulit Baſilicæ Vaticanæ. 91.

Thomæ Vandini error in aſſerẽdis annis Iubileis. 105.

Titulares Eccleſiæ a Cardinalibus reſtaurandæ, præſertim anno Iubilei imminẽte. 164. 237

SS. Trinitatis ad Cavam Metellianam Eccleſia ab Vrbano II. conſecrata, & indulgentiis aucta. 13. 14.

SS. Trinitatis Sodalitas ad Convaleſcen-

*leſcentes, & peregrinos ſuſcipiendos ſuggerente S. Philippo Nerio inſtituta.*163.

Ejuſdem Sodalitatis pietas in excipiendis peregrinis, & Societatibus ei aggregatis. 187. 194. 195.213.227.

*Subſidia valida a Summis Pontificibus eidem tributa.*192. 194. 195.213.227.

*Numerus viſitationum Sodalitatibus, & peregrinis ab eâ excipiendis,& ad Eccleſias deducendis imminutus.*187.*& ſeqq.*

*Summi Pontifices in ejuſdem Sodalitatis hoſpitio pedes peregrinis abluerunt, ad menſam miniſtrarunt.*194.214.227.*& ſeqq.*

Tyber recurrente Iubilei anno tumefactus, adeò ut cymbis ad Baſilicã S.Pauli trajiciendus foret. 140.*ejus alluvione ad Capellas Pontificias Cardinales convenire impediti.*149.

V

*Aticana Baſilica ibi erecta, ubi S. Petrus juſſu Domini fuſo cruore, univerſalem gregis curam Romanæ Sedi indiſſolubili nodo univit.*78.*& ſeqq.*

*Ad conſequendum Iubileum ſola antiquitùs viſitabatur.*82.

*Solum Vaticanum cruore Principis Apoſtolorum irrigatum, fæcundatumque fas erat,ut palmas uberrimè germinaret.*82.

Ibi infenſiores Tyranni Chriſtianorum lanienam immaniùs exercuerunt. 82.*ac præ cæteris Nero, qui ex Circo, ſeu ab hortis contiguis eam ſpectabat.*83.

*Nullibi magis indulgentiarũ acervus Sanctorum ſatisfactionibus auctus eſt.*82.

*Ibi Anacletus inſignem memoriã erexit, a ſecundo ſeculo Chriſtifidelium cultu frequentatam.*70.

A Sanctis Patribus comprobatam. 71. *miraculis confirmatam.* 72. *& multifariam appellatã.*83.84

Via ad Vaticanum ducens, nunc Burgum vetus, *olim ſancta, ſeu via Martyrum dicta, inde brutis ingreſſum vetitus.*83.

*Longè præceſſerunt Conſtantini tẽpus, ac ejus Baſilicæ munificentiorem ſtructuram Baſilicæ Vaticanæ primordia.*5.79.83.

*Conſtantinus octavo die a ſuſcepto Baptiſmate, a S.Silveſtro ad memoriã S.Petri deductus, vim lacrymarum, humi procumbens, fudit.*54.

*Eam indulgentijs auxit S. Silveſter, utì eam ſtructurã Conſtantinus Magnus.*11.

Plurimæ indulgentiæ ab ipſis Eccleſiæ incunabulis antiquiſſimam S. Petri memoriam viſitantibus propoſitæ erant ſecundùm Diuũ Thomam. 70. *Centeſimo potiſſimùm anno recurrente.* 85. *Eas Gregorius Magnus, aliјque Pontifices auxerunt.* 40. 46. *inde ad alias Eccleſias cum Cruce ſtationali deduxerunt.*80.

Ad eam,inſtitutâ ab Anacleto ſacrâ,

crâ, ac ſalutari peregrinatione, cur ad eam Chriſti-fideles convolare conſueverint veritatis doctrinam accepturi? 53.54.70.79.80.
Nec infimæ tantùm gentes ad eam confluxerunt, ſed Imperatores, Imperatrices, Reges, Reginæ, ac ſupremi quicumque Principes. 53.54.55.91.
Carolus Magnus ſingulos ejus Baſilicæ gradus oſculatus eſt. 91.
Ei immenſa dona obtulerunt. 54.55.90. & ſeqq. quæ in Baſilicæ proprietatem, ac ius prædijs, & caſtris coëmptis ceſſerunt, 88. Et pars quædam inter Clerum annuatim diviſa, etiam Parocho Lateranenſi obveniebat, et adhuc obvenit. 89.
Ejus in veſtibulo ſuas exuvias recondi voluerunt. 94.
Eaque in tantâ æſtimatione, ac veneratione erat, ut quicquid ſiniſtrum accideret, id evenire fideles crederent, quòd ad Baſilicam ipſam ſupplicabundi non convolaſſent. 84.
Illam viſitantibus unoquoque cẽteſimo plenaria indulgentia olim a S. Gregorio conceſſa. 40.
Ea in Diplomatibus Iubilei ſemper primo loco expreſſa eſt, ac ſemel ejuſmodi ſeries everſa, ab Vrbano VIII. in priſtinum revocata. 86. immò apud S. Petrũ dari, & adſcribi juſſit Bonifacius VIII. literas indictionis Iubilei, quę Laterani datæ erant. 85
In illâ tantùm Arcula eleẽmosynæ, in animarum Purgatorij ſuffragium iniunctæ, ac erogandæ, exponenda. 89.97.
Chriſtierni, & Chriſtinæ Suecorum Regis, ac Reginæ, & Ludouici Hungariæ Regis in eamdem religio. 260.
Cur eiuſdem Portam auream Romanus ipſe Pontifex aperiat, & claudat? 78. & ſeqq.
Innocentij III. liberalitas in eiuſdem Baſilicæ Capitulum. 46.
Canonici olim ſuperpelliceo, & almutiâ utebantur. 210.
Cochleæ Columnæ olim Greg. III. donatæ, ac ad veteris Presbyterij mox ad noui ornatum addictæ, demùm ab Vrbano VIII. ad Conditoria reliquiarum excitatæ. 205
Eadem Baſilica ab Vrbano VIII. Innocentio X. & Clemente X. exornata. 205. 222. 233. 259.
Crux Altaris maioris olim ſtationalis dicta ad ſtationes celebrandas adhiberi ſolita. 80. 81.
In litanijs S. Marci Manſionarij ejuſdem Baſilicę Presbyteriũ Parochis Vrbis, & Lateranenſi diſtribuunt. 89.
Veliternę Ciuitatis Sodalitas ſodaliũ numero refertiſſima. 189.
Veronica, ſeu Sudarium Domini (nunc Vultus Săctus) in maximâ veneratione habita, ac Iubilei anno frequentiùs oſtenſa. 86. 95. 116. 117. 131. 132. 146. 157. 174. 175. 177. 182. 199. 230.

Digitized by Google

Preces ad illam recitantibus Indulgentiæ propoſitæ. 15.
Ad eam aſcendere, eamque populo oſtendere Imperatoribus, ac Regibus poſt ſuſceptam Coronam, ultra Canonicos Baſilicæ, & cur Principi Vladiſlao Poloniæ indultum? 209.
Via regalis, ſeu triumphalis, Martyrum, vel Sacra olim dicta, quæ nunc Burgum vetus. 71. 83.
Brutis illac tranſitus occluſus. 83.
Viæ publicæ Iubilei præſertim anno a prædonibus tutæ ſeruandæ. 164. 237.
Vrbis earumdem viarum aptatio, & complanatio curę Cardinalis commiſſa. 165.
Virgines, Bonifacij VIII. *tempore, die domi continebantur, nocte ſub fidâ Matronarum cuſtodiâ Baſilicas viſitabant.* 108.
Vmbella ſupra Pontificem in proceſſione apertionis Portæ aureæ ab Oratoribus Principum, tum Imperatoris, ac Regum deferri conſueta. 193. 254.
Volaterranus aliquos Iubilei annos ſilentio obvoluit. 105.
Vrbanus VI. *Anni Sancti celebritatem indixit, quam Bonifacius* IX. *celebrauit anno* MCCCXC. 118 *& ſeqq.*
Vrbanus VIII. *Iubileum annum* MDCXXV. *indixit, & celebrauit.* 203. *& ſeqq.*
Laudatur ab Authore. 203. *& ſeqq.* 210.
Eius liberalitas in Sodalitatem Sanctiſſimæ Trinitatis. 213.
Eius Hoſpitium inuiſit, ibi peregrinorum pedes lauit, ijs ad menſam miniſtrauit. 214.
Quatuor Eccleſias terdecies, bis ſeptem inuiſit, aliaque deuotionis, ac pietatis argumenta edidit. 210. *& ſeqq.*
Beatam Eliſabetham Portugalliæ Reginam Sanctorum catalogo adiecit. 215.
Felici a Cantalicio Beatorũ cultum indulſit. 215.
Sodalitatem S. Benedicti Florentiæ ſacro, & temporali cibo recreauit. Ipſe cum ſodalibus in menſâ ſeparatâ comêdit. 214. 215.
Exteris, & peregrinis numiſmata argentea, & aurea proprijs manibus erogauit. 214.
Ad ſedandas diſcordias inter Ianuenſes, & Inſubres ſacram ſupplicationem inſtituit. 212.
Trajani Portum ad Centum-cellas reſtaurauit. 217.
Arcem Vrbanam prope Bononiam, aliaſque Vrbes muniuit. 217.
Æliam arcem Romæ perfecit. 217.
Armamentarium in Vaticano inſtruxit. 206.
Palatinę Bibliothecę codicibus Vaticanam auxit. 206. 207.
Vrbini Ducatu Ditionem Eccleſiaſticam ad Metaurũ produxit. 216
Molem æneam ad Principis Apoſtolorum confeſſionem excitauit: aliaque ornamenta Baſilicæ adiecit. 204. *& ſeqq.*

Con-

Conſtantinianum baptiſterium ad Lateranum vndequaque exornauit. 207.
Eccleſiam S. Bibianæ collabentem reſtituit. 208.
Eidem Pontifici ob egregia eius in rempublicam facinora S.P.Q.R. grati animi monimentum poſuit. 217.
Ejuſdem Pontificis in Authorem munificentia. 86.
Cùm in minoribus eſſet, ſacellum in Eccleſiâ S. Andreæ de Valle extruxit. 213.
Eius germanus frater Cardinalis S. Honuphrij erga ſuū Capuccinorum Ordinem munificētiſſimus. 215.
Vrbanus Roccius intimus Clementis X. *enſis, & pallij Cubicularius.* 249.
Vrbeuetana Cathedralis ſtructurâ mirabilis. 16.
Corporale ſanguine Chriſti conſperſum in eam translatum ab ipſo-met Vrbano IV. 17. 18.
Feriâ v. poſt Dominicam Sanctiſſimæ Trinitatis, inde ſolemnitas Corporis Chriſti originē traxit. 22.
Sancti Bonauentura, & Thomas Aquinas aderant, & Officium, ac Miſſam iuſſu Pontificis ediderunt. 19.
Indulgentiæ a Summis Pontificibus tantæ celebritati decretæ. 20. *& ſeqq.*
Ac ipſimet Cathedrali Vrbeuetanæ peculiariter conceſſæ. 20. *& ſeqq.*
Vrbani VI. *literæ datæ apud Vrbem-ueterem.* 88.
Templum Diuo Dominico immediatè poſt eidem indultam venerationem excitatum. 18. *& ſeqq.*
Eiuſdem Ciuitatis Epiſcopo poteſtas delegata reducendi numerum viſitationis quatuor Baſilicarum a Clemente VI. 114.
Vrbini Ducíſſæ in Vrbem aduentus Iubilei anno. 185.
Eius Ducatus cum Ditione Eccleſiaſticâ conſolidatus. 216.
Vultus Sanctus vide *Veronica*.

FINIS.

Digitized by Google

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſsimo Patri Magiſtro Sac.Pal.Ap.

I.de Ang.Archiep.Vrb.Vicesg.

Imprimatur.

Fr.Vincentius Strozzius Reverendiſs.P.Sacri Pal. Apoſtolici Socius.

REGESTVM.

† ††.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo.

Omnia ſunt folia integra, excepto Oo, quod eſt dimidium.

ROMÆ.

Typis Cameralibus,& Vaticanis. M.DC.LXXV.

Superiorum permiſſu. Et privilegio.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google